Stori

Ant.


VITTORIO



DE
ROMANA
TUTELARIUM DEORUM
EVOCATIONE

LIBER SINGULARIS.

CASTI INNOCENTIS ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM

DE

ROMANA
TUTELARIUM DEORUM
IN

OPPUGNATIONIBUS URBIUM

EVOCATIONE

LIBER SINGULARIS.

Editio altera emendata & aucta.





VENETIIS

Apud PETRUM VALVASENSEM.


MDCCLIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

JUDICIUM DE HOC OPERE

PRIOR. EDIT.

Ex Act. Erudit. Lipsiæ Mensis Martii A. MDCCXLV. P. I. p. 107.



ARGUMENTUM, quod Libro hoc singulari persequitur Auctor doctissimus, ex intimis Antiquitatum Romanarum recessibus petitum est, eoque minus deerit instituto huic commendatio, quo major est rei dignitas, quam ab aliis meminimus parcius examinatam esse. Indagatur enim ritus ille veterum Quiritum, quo, in oppugnanda Urbe aliqua, ubi jam extrema tentanda erant, *Deos* illius Urbis *tutelares*, certis usi carminibus, & verbis, in alias *evocabant* sedes, idque partim ideo, quod eorum tutela munitam urbem capi difficulter posse prævidebant, partim quod capta urbe ejusque simulacris, Deos ipsos,

velut mancipia, captivos teneri haud convenire arbitrabantur. *Capite primo* doctissimus Auctor enarrat Scriptores illos, quorum in Libris vestigia moris hujus clarissima occurrunt. Excitantur *Plinius Libro XXVIII. Hist. Natur. Cap. 9. Macrobius Saturnal. Lib. III. Cap. 19. Festus* in Voc. *Peregrina Sacra*. Demissis recentioribus, *Alexandro Neapolitano*, *Rosino*, *Ormanico*, *Rollino*, aliis, antiquorum tantum ratio habetur. Provocatur ad ea, quæ canunt de Obsidione Trojæ, *Virgilius Æneid. Lib. II.*; de Bello Civili inter Cæsarem & Pompejum *Horatius Carmin. Lib. II.*, de obsidione Capitolii per Gallos *Ovidius Fastorum Lib. VI.*, de oppugnata Lemno *Statius Lib. V. Thebaid.*, de oppugnatis Thebis idem *Lib. VII. & X.* aliique Poetarum, qui locis excitatis ritus hujus ubique vestigia relinquunt. Adduntur

Histo.

Historici, inprimis *Tacitus*, de Hierosolymis a Romanis obsessis, *Lib.V. Hist. Cap.* 3. commentatus. Varia subnectuntur ex *Barclajo* de eodem ritu. His præmissis, *Capite secundo* inquiritur, quid moverit Romanos, ut sibi persuaderent, posse Deos Evocatos, immotis eorum simulacris, Deum aliquem, illiusque virtutem insidere, constanter fuerit creditum, quid senserint Romani de ἐνοικοίσει Deorum in ipsorum simulacris, diverso modo multaque arte factis. Advocatur huc & ea Romanorum opinio, qua, imminente Urbis excidio, vel infortunio alio majori, templorum fores & adyta sponte resilire, nulla hominum vi admota, eosque ibi consecratos, inde discedere, vulgo existimabatur. Venitur ad alia plura, quæ prætereunda ducimus. *Capite tertio* operose disputatur, quibusnam ritus illius origo

vindicanda ſit, aque utrum ille mos & aliis, præter Romanos, gentibus fuerit uſitatus. Diſceſſio fit a *Voſſio*, qui Romanorum ſacra vel ab Albanis, vel ab Oſca, vel a Thuſcis, repetit, tutiorque videtur Autori ſententia *Tullii Orat.* de Haruſp. Reſponſis, *& Valerii Maximi Lib. I. Cap.* 1., qui, ut reliquarum ſtatarum ac ſolemnium apud Romanos cæremoniarum, ſic & Evocationis Deorum originem revocat ad Pontificatum, ſive ad ſcientiam Pontificum Romanorum. Duas imprimis exſtare cauſas judicat, quibus inductus quis opinionem illam ad Romanos a finitimis migraſſe gentibus exiſtimare poſſit. Harum unam dicit opinionem nonnullorum de ritu hoc artibus magicis & præſtigiis accenſendo; cujusmodi artes apud populos Romanis finitimos obtinuiſſe conſtat. Alteram, eum Romanorum ri-

tum,

tum, quo Deum Romæ tutelarem, & Latinum ipsius Urbis nomen coram aliis celabant, ne, divulgato tutelæ suæ nomine, hostium Evocationi liberius se ipsi exponerent. Id quod consimiliter finitimarum gentium moribus conforme dicit. Ad utranque earum Autor Clarissimus fuse respondet. Quo negotio defunctus, oppugnare studet *Ormanicum*, qui Evocationis Deorum vestigia quædam conspicatur in historia Arcæ a Philistæis captæ, ex eaque illam repetendam ducit in Libro *de Veter. Relig. Camul.* Tuetur igitur sententiam, quam semel est ingressus, & Romanis proprium fuisse ritum, & ad eos a nullo alio populo transiisse. Fuerit forsitan operæ pretium, eam in quæstionem singulari studio inquirere, utrum apud gentem etiam aliam, in primis Romana antiquiorem, nullum plane moris hujus ve-

stigium

x

ſtigium ſpectetur, quod *Capite hoc* negat doctiſſimus Auctor. Profecto *Perſis* atque *Ægyptiis* haud ignotam fuiſſe Deorum Evocandorum rationem e loco *Alexandri ab Alexandro Lib. VI. Genialium Dierum Cap.* 4. conficitur. *Græcos* plane excludendos nemo dixerit, niſi prius conſtet, eum antiquitatum græcarum ex aſſe gnarum eſſe. Et ſi ſana eſt ſententia, Viris probata doctiſſimis, quod inſtituta Gentis Hebrææ ad Ægyptiam, Ægyptiæ ad Græcam, Græcæ ad Romanam migraverint, conjecerit quis, opinamur, haud inſcite, Quirites vel hujus ritus originem Helladi acceptam referre, inprimis cum clariſſimus ſit locus *Diodori* de Tyriis, qui *Alexandro Magno* Tyrum obſidente, ſimulacrum *Apollinis* aureis catenis baſi alligabant, Dei hujus ex urbe ſua diſceſſionem veriti. *Lib. XVII. Biblioth. p.* 120. Sed

expen-

expendendum etiam tum foret, utrum silentium *Plutarchi*, qui, cum Græca cum Romanis conjungere soleat, quando de Evocatione Deorum dicit, solius gentis Romanæ meminit, ac Romanorum duntaxat testimoniis utitur, sententiæ eidem vere adversetur. *Capite Quarto* necessitas Evocationis Deorum evincitur e jure Romanorum bellico, & uberius ostenditur, urbium apud Romanos deditionem conjunctam semper fuisse cum deditione sacrorum. Capta enim urbe, captos inde victosque Deos deportandos fuisse, stabilitur auctoritate *Livii* variis ex locis. Sub incudem revocatur locus quidam *Grotii de J. B. & P. Lib. III. Cap.* 5. quem neglexisse *Ansaldus* docet, ritum Evocationis bellicæ, ad quem necessario respiciendum ibi fuerit. *Capite Quinto* id agit, ut demonstret, Evocationis ope egregie locupletatum

fuisse

fuiſſe Romanorum ærarium. Cum Deorum enim ſtatuis multa alia ablata fuiſſe refert, obeliſcos, pyramides, clypeos, laminas, haſtas, galeas, gemmas, aulæa, toreumata, thenſas, thuribula, tripodas, plura ex auro argentoque confecta, omnem etiam pecuniam, ſacram & profanam, publicam & privatam, quæ aſſervata in templis, in ciſternis ſacris, & quicquid ad Deos pertinebat, ritu bellico Evocatum. Hæc omnia, addito Victorum juris eſſe facta, & cum ipſis Deorum ſimulacris Romam aſportata. *Capite ſexto* multis argumentis evincitur, tutelarium Numinum Evocationem locum obtinuiſſe inter arcana Imperii in Republica Romanorum. *Capite ſeptimo* commemorantur Dii a Romanis olim ex Urbibus obſeſſis Evocati, quos tamen enumerari poſſe Cl. Autor negat, quanquam magnum eorum

nume-

numerum e multis Scriptorum testimoniis eliciat. In his occurrit locus ex *Minutii Octavio*, ubi Deus Judæorum tempore obsidionis Hierosolymitanæ, Evocatus, captus, victus, triumphatus perhibetur, dignus, qui curatius expendatur. A Diis, qui Evocati, venitur ad carmina, quorum ope Evocatio peracta. Hujusmodi carminum bellicorum multa afferuntur genera, quæ fide Scriptorum veterum consignata sunt. Quas tamen cæremonias omnes successu temporum abrogatas fuisse, ut bellici Fecialium ritus, atque alia, recte subjicitur. *Capite Octavo*, vel ultimo, agitatur Quæstio, utrum Evocationis ritui vel leges quædam Romanæ, vel dicta quædam & facta Romanorum adversentur. Negatur utrunque. Ex Legibus potissimum advocatur ea, quæ prohibebat Romanos, ne peregrina inve-

herent

herent Numina, neque externos amplecterentur gentium ritus. Ex factis afferuntur destructa a Senatu Romano fana *Isidis* & *Serapidis*, quæ ædificata a nonnullis fuerant. Præterea mentio injicitur de sacra *Proserpinæ* pecunia, a militibus Romanis rapta, jussu vero Senatus Romani dupla in locum suum reposita. Hæc, quæ compendiaria ratione a nobis decerpta sunt, incendere possunt studium Lectorum, ut Librum ipsum majori diligentia examinandum sumant, examinatumque in succum & sanguinem convertant.

INDEX CAPITUM.



CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CA-



CA-



CAPUT I.

Tutelarium Evocationem Numinum apud Quirites obtinuisse. Qui Auctores alia describendo ad illam adluserint.



ETEREM apud Quirites obtinuisse morem, ut Urbium in oppugnationibus, ultimam ubi ad dimicationem ventum esset, Tutelares Deos, quorum sub præsidio Urbs foret, certo carmine conceptisque verbis, novas iidem evocarent in sedes, ampliora templa solemnioresque polliciti illis aras, quod Præsidibus inde non excedentibus Diis Urbem capi posse non crederent, nefasque opinarentur ejusmodi Urbium Deos, ceteris hostili licentia direptis, veluti mancipia captivos ha-

 bere,

bere, docent universi qui de antiquitatibus loquuntur Romanis, tametsi brevissima usi oratione in re ceteroquin dignissima commentario; mirum enim quot quantaque ejus e cognitione profluant consectaria Romanam undique rem, Imperii jura scilicet atque arcana, Religionem Romanorum veterem, ritus ac cæremonias, pluriumque loca Scriptorum mirifice illustrantia. Haud pauci, fateor, Romanæ Gentis de rebus adhuc supersunt veteres egregii Scriptores, qui augustiora quæque & celebriora lato complexi calamo, Senatus Populique Romani aut Principum acta, uti Historicos adprime decebat, Posterorum commisere memoriæ. Verum iidem nonnulla, quæ speciales aliquas ad consuetudines, vulgaresque pertinebant ad ritus, prætermisere, quod [uti Bodino olim, (1) Clerico dein animadversum, (2)] æquales perpauci Libros notissimis de rebus ac vulgaribus scriptos legere sustinerent. Itaque quum Historici præsentium tunc temporis animos sibi conciliare conarentur, & fama sua frui, id memoravere quod hominibus ævi sui haud satis notum esse poterat, ommissis quæ omnibus nota erant, unde factum, ut ejusmodi res posteritatem fugerint, quod paullatim in dessuetudinem abeuntium memoria a nemine servata est. Optandum autem sane esset, Commentarios nos habere vulgari-

(1) Method. ad Histor. Cap. IV.
(2) Art. Critic. Part. I. §. 3.

garibus de opinionibus atque de consuetudinibus hominum ea scriptos ætate, qua eædem vigebant; multa enim servulis etiam notissima tempore intercidunt, quæ ne summa quidem diligentia veterum e ruderibus postea erui possunt, unde & eruditissimi nunc quique Viri haud parum sudant, quod eas ignorent. Fortasse & ea, quæ minima videbantur, aperte nimium describere fas olim non fuit, quorum scilicet nervus vulgo occultari merebatur, aut quum ex iis aliquando erant; quibus aliud reipsa agebatur, aliud videbatur agi. Recentiores Scriptores in aliquibus veterum consuetudinibus inopes rerum fecit aliquando copia; nam aut de universa alicujus gentis historia, aut de aliquo plurium una populorum more loquuti, corticem lambere conati; intima non attigere. Et locupletissima quidem, ætate nostra, legimus edita Romanarum Antiquitatum syntagmata, adeo ut, aliquorum in sententia, ea super re nihil reliquum esse videatur, quod liberaliter institutus homo, & a recoquenda crambe prorsus alienus, valeat commentari. Verum, ut ego æternis dignos laudibus existimo Heroas illos, qui hoc in pulvere diligentissime sudarunt, ut pluris etiam facio illos, qui rerum hujusmodi copiæ pertæsi, Etruscam rem illustrare bonis avibus pergunt, haud ita tamen actus sum, ut supervacaneum putem, nonnulla persunctorie adhuc memorata diligentius perscrutari. Extat quidem Henrici Cocceji *Dissertatio Juridica de Evocatione Sa-*

crorum, (1) in qua tamen neque de argumento nostro egit, neque illud exhausit; prologi siquidem ipsa instar est Operis de Jure summæ Potestatis erga sacra, ad L. 9. §. 2. ff. de Rer. Div. *solent, qui liberare eum locum Religione volunt, sacra inde evocare;* quod exaugurationis genus erat. Hujusmodi igitur inter evocationem, & bellicam discrimen est. Ad priorem pertinet quod Festus Pompejus scribit: *Novæ Curiæ proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt, quod primum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partes triginta distribuerat, ut in iis ea sacra curarent, quæ, cum ex veteribus in novas evocarentur, septem Curiarum per Religiones evocari non potuerunt. Itaque Forensis, Raptæ, Vellensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus Curiis.* (2) Hac autem de Evocatione nos non agimus in præsens, sed de bellica, de qua obiter Coccejus. Itaque quum operam in eo posuerim ego meam, ut ejus, quam mihi pertractandam assumsi provinciæ non oram modo legerem, verum ejus originem, caussas, formam, arcana, consectaria pro viribus aperirem, in eam pæne erigi videor posse spem fore, ut dissertatiuncula hæc mea, quam paucis absolvi, ne majore viderer scripsisse copia quam delectu, ac dictione tumultuosa verius, quam composita, aliquam adferre legenti valeat cum jucunditate conjunctam utilitatem.

Ve-

(1) Francofurti ad Oderam 1711. (2) Voc. *Curia*.

Veteres inter, qni Tutelarium de Numinum Evocatione scripsere, se se offert, ϰ̀ τὴν πρώτην τάξιν ducit Plinius, cujus en verba: (1) *Verrius Flaccus Auctores ponit, quibus credat in Oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id Oppidum esset, promittique illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos cultumve*. Sequitur Macrobius, cujus testimonio, *Constat morem Romanorum arcanum & multis ignotum fuisse, ut cum obsiderent Urbem hostium, eamque jam capi posse confiderent, certo carmine evocarent Tutelares Deos, quod aut aliter Urbem capi posse non crederent; aut etiam si posset, nefas existimarent Deos habere captivos*. (2) Accedit Festus dicens: (3) *Peregrina sacra appellantur quæ ex evocatis Diis in oppugnandis Urbibus Romam sunt conlata*. Missa vero in præsens faciam Alexandri Neapolitani, Lilii Gregorii Gyraldi, Rosini, Laurentii, Boxhornii, Ormanici, Rollini, aliorumque hac de re testimonia recentiorum, quæ nil sunt aliud, quam nuda Macrobii verba. Aptiora autem Plutarchi, & Servii dicta adferam in loco.

Macrobii testimonio, nemo Marone nitide ac evidenter magis ad vetustissimum & occultissimum hoc sacrum respexit. Ille siquidem Trojæ obsidionem & incendium, in Æneæ narratione Didoni facta, Romano more, describens, vi-

(1) Lib. XXVIII. Cap. 9.
(2) Lib. Saturnal. III. Cap. 9.
(3) In Peregrin.

ctos non modo memorat Deos captosque Penates, verum & quum jam mœnia armatus hostis haberet, se se in arma præcipitem ferentem Æneam, extremamque ad ultionem Socios ita hortantem inducit: (1)

Juvenes fortissima frustra
Pectora: si vobis audentem extrema cupido est
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna, videtis.
Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii quibus imperium hoc steterat.

Ad Evocationem & Venusinus respexit Vates dum a scribenda belli Civilis inter Cæsarem & Pompejum historia Asinium deterret Pollionem, eumque laudat, quod de Dalmatis triumphasset: (2)

Juno & Deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure.

Demigrarat inde, ita interpretatur carmen Cl. Desprez, (3) *velut resistere satis impotens, ex veteri porro consuetudine Romanorum, qua evocabantur ex obsessis Urbibus Dii earum Tutelares.*

Jovem, quum inde profligandi Galli obsiderent Capitolium, sic ad Tutelare non perituræ tunc arcis Numen loquentem inducit Ovidius: (4)

Tu modo, quæ desunt fruges, superesse putentur,
Effice: nec sedes desere Vesta tuas.

Pe-

(1) Lib. Æneid. II.
(2) Lib. Carmin. II. Ode. 1.
(3) Not. in Horat. ibid. (4) Lib. Fastor. VI.

Petronius in descriptione excidii Trojani: (1)

Peritura Troja perdidit primum Deos.

Quos evocatos ostendit, Græcorum de populo subjiciens:

Contraque Troas invocat Trojæ sacra.

Juliano autem milite diripiente Romam:

Tergo tanta lues Divûm quoque numina vidit
Consensitque fugæ cœli timor. Ecce per orbem
Mitis turba Deûm, terras exosa furentes
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax primum ante alios, niveos nudata lacertos,
Abscondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile Regnum.
Huic comes it submissa fides, & crine soluto
Justitia, & mærens lacera Concordia palla.

Helena, apud Senecam, in Troade:

Prostratum Ilium est,
Versi Penates.

Atreus vero, se se adversus fratrem ulturus, in Thyeste:

moti Lares
Vertere vultum.

. . . .

Utinam quidem tenere fugientes Deos
Possem, & coactos trahere.

Statius, qui carmina Thebaidos sua per ambages totus Deorumque ministeria & fabulosas eorum modulatus est curas, hoc esset in opere integer inferendus, ejus si loca ad accedentes

 aut

(1) In Satyric.

aut excedentes Urbium in oppugnationibus Deos spectantia referre placeret ; nec enim alius est Vates , qui plusquam poetice liberum præcipitaverit spiritum , feceritque simul animi vere supera cognoscentis, seque ferentis super æthera fidem. Itaque ut e multis pauca racememur , apud eundem excesserat oppugnata e Lemno,

Captasque refugerat arces
Exsaturata Venus. (1)

Alter autem Thebarum Deus in prece ad Jovem visum decernere Urbis excidium:

Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
Da sedem profugo. (2)

Postque non multa:

Et per tentoria sermo
Unus, abiisse Deos, dilapsaque Numina castris.

Demum:

Sunt & diris sua Numina Thebis;
Forsitan & nobis modo qui favere, recedunt. (3)

Eandem respexit ad recedentium creperis & conclamatis in rebus Deorum consuetudinem Silius Italicus in Oratione Gestaris Carthaginiensium in concilio bellum adversus Romanos suadentis: (4)

Nos nos contra ibimus hostem,
Queis procul a Tyria dominos depellere Byrsa
Vel Jove non æquo fixum est: sin fata repugnent;
Et jam damnata cessit Carthagine Mavors,

Occum-

(1) Lib. Thebaid. V.
(2) Lib. Thebaid. VIII.
(3) Lib. Thebaid. X. (4) Lib. II.

Occumbam potius; nec te, Patria inclyta, dedam
Æternum famulam, liberque Acheronta videbo.

Et inde:

Ceu prodita Templa
Expulsi fugiant manes:

Quæ ad verba Heynsius, *Antiqui*, inquit, (1) *primo omnium in Urbium obsidionibus manes excantabant, cantuque eliciebant.*

Claudianus, imminente bello, sic ad πολιῦχον Romæ Θεὸν: (2)

Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cælumque tuum?

Alio autem in loco negat idem Poeta deserere Præsides Romam posse, ea iterum ratione ad Evocationis cæremoniam amœnissime adludens; majorem quippe quemdam natu hisce inducit Alaricum a bello adversus Romanos deterrentem: (3)

Quid mihi nescio quam proprio cum Tibride Romam
Semper in ore geris? referunt si vera Parentes,
Hanc Urbem insano nullus qui Marte petivit,
Lætatus violasse redit, nec Numina sedem
Destituunt.

Non solum autem Poetæ, sed Historici etiam Evocationis ad morem suis in Operibus adlusere. Tacitus Hierosolymorum obsidionem excidiumque describens, Deos Tutelares arbitratus est ab oppugnatis excessisse mœnibus: *Expassæ*, in-

(1) Not. in Lib. II. Sil. Ital.
(2) De Prob. & Olyb. Consul.
(3) De Bell. Getic.

inquit, (1) *repente Delubri fores, & audita major humana vox: Excedere Deos; simul ingens motus excedentium*. Haud inficior quidem, Angelos, qui in Templo residebant, alia tunc de caussa abire debuisse, uti Judæi Christianique Scriptores testantur; nam & in morte Christi, *scisso Templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt*. (2) Verum quis ignorat, Tacitum non habuisse rectam imaginem rei, & Judæorum de sacris πλυθυντικῶς esse loquutum, more scilicet Gentili, ut animadvertit Clericus, (3) & interpretatione Romana: iccircò ad consuetudinem respexisse Deorum, qui oppugnatas relinquerent sedes, qui se se ad Romanas, adque victores pro rerum vicibus commutata voluntate reciperent?

Prudentii autem in carminibus non obscure, sed apertissime traditum legimus obtinentem olim apud Romanos in Oppugnationibus Urbium, Deorum Præsidum Evocationem. Ait siquidem: (4)

Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse Deos, rarisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde Deos, virtute subactis
Urbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis;

Inter

(1) Lib. Histor. V. Cap. 3.
(2) S. Leo Serm. VIII. *De Pass. Dom.*
(3) Art. Critic. Part. II. Sect. I. Cap. XIII. §. 10.
(4) Lib. adv. Symmach. II.

Inter fumantes Templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans ceu Numina, vexit.
Roma triumphantis quoties Ducis inclita currum
Plausibus excepit, toties altaria Divum
Addidit, & spoliis sibimet nova Numina fecit:
Numina, quæ patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.

Apertissime etiam hoc de more apud Romanos usu habito S. Ambrosius, de eisdem quum dicat; (1) *Captarum Simulacra Urbium, victosque Deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienæ superstitionis æmuli receperunt*; abest enim adeo, ut Præsides in Urbem transferendo hostium Deos, ceteraque Templorum Religionibus destinata, sacrilegio pollui se Romani crederent, ut ea potius ex consuetudine, sacroque, uti autumabant, e ritu, exquisitam togatæ Gentis Religionem, studiumque erga Deos suum, vehementer ostensum iri non dubitarent.

Inter recentiores ad Evocationem elegantissime adlusit sua in Argenide Barclajus, qui in Palladis, quæ fingit, solemniis: *Is autem*, inquit, (2) *sacrorum ordo erat. Cum lucebat novus dies, si quod Minervæ Templum in proximo erat, illuc deferebatur simulacrum, cui honores haberi consueverant: Sin minus, ex commodissima æde evocabatur, qui Deus Deaque habitabat, ut quia duo Nu-*

(1) Epist. ad Valent. adv. Symmach.
(2) Lib. Argenid. I.

Numina unum Templum non capit; suo discessu commodaret Palladi fiduciariam sedem.

Idem Auctor, instante in Sicilia bello; Argenidis sub persona, jussam Palladem excedere simulat, abeuntemque; & veluti suis e sedibus evocatam ab hoste, minari Deam. (1)

Alio autem in loco bellicam Romanorum Religionem veluti describere gestiens, Evocationis etiam ingenium, & carmen pulcherrimo depingit penicillo. *Meleander*, inquit, (2) *Siciliæ Rex, & propria indole, & tunc anxiis rebus erat in Deorum curam intentior. Et quoniam rebellionis nefas instar morbi pervagabatur Siciliam, tamquam plus fati & amentiæ, quam sceleris esset, publice clavum fixit. Ita sperabat posse componi mentes, quas furor rapuerat. Etiam ne in suos milites labes inserperet, placuit lustrari exercitum. Ivit ergo ad castrorum principia (nam sub Epeirctes radicibus milites tendebant) & inde cum Tribunis Ducibusque, & Deorum simulacris processit ad campum, in quo facturus Sacerdos instruebat altaria. Omnis sub signis exercitus sibi ad rem divinam coronas texuerat. Hastæ quoque & jacula circumactis frondibus induebantur. Interim hostiæ omni cultu mactatæ; Taurus, Hircus, & Aries inter legitimas preces a Ministris alte præcinctis circumactæ Exercitui ad aras sistuntur. Tum Rex & in orbem ipse se egit, Deos appellaturus: adessent melioribus partibus, &, si qui hactenus non favissent,*

(1) Lib. Argenid. I. (2) Lib. Argenid. II.

sent, rite propitiati ad se transirent. Incolumis esset exercitus; vires, animus, consilium hosti exciderent. Quod si ope, salute, victoria juvissent, tum se Jovi Servatori, Martique & Minervæ, & Cælipotentibus Diis, quotquot bellum aut pacem curant, Templum de adversariorum manubiis exstructurum. Annuos etiam ludos fore, in quorum præmiis hæc in Siciliam Deorum beneficia cælarentur. Inter hæc vota hostiæ cadunt, fibrisque spirantibus Aruspex admotus est. Is cum integerrimum jecur, sed crassioribus membranis pertinaciter obductum inspiceret, exta quidem esse bona asseruit, & iis magnam felicitatem portendi, sed lentam, & quæ labore constaret. Post hæc, milites, gestu inani, & hastis ex arte aliquoties quassatis, tamquam ad hostem præsentem succlamantes edidere simulachrum coeuntis certaminis, & innoxie velitati ad castra redierunt. Quam belle omnia, & pæne ad miraculum Romanas ad consuetudines tracta! Erant enim bellica sane hæc Romani populi in certamen ituri sacra, hi legitimi ritus, hæ Tutelares ac bellicos erga Deos cæremoniæ, quas inter Deorum, uti vides, Evocationem, & simile illi, quod in loco recitabitur, carmen: adessent videlicet melioribus partibus, quique hactenus haud favissent, aut hostium Præsides antea fuissent, eos desererent, veteresque relinquerent sedes, obsessæ Urbis mœnibus, aris, templis ac locis excederent, ac rite propitiati ad se suaque ad castra transirent.

Ansam ex hoc ritu sumsit suam ostendendi eruditio-

ditionem, & ampliſſimum colendi inclytæ Urbis civem Octavius Ferrarius, in Panegyrico Paulo Caotortæ dicto. *Magnarum*, inquit, *Urbium excidia, veterumque Imperiorum fata diris ante oſtentis denuntiata Scriptores tradiderunt. Sed non aliud certius imminentis exitii præſagium fuiſſe adnotatum eſt, quam cum Dii Præſides Geniuſque loci evadere credebatur, & perituras ſedes deſerta veluti ſtatione deſtituere. Ruentis a culmine Trojæ triſtiſſimum omen illud fuit:*

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Dj, quibus Imperium hoc ſteterat.

Et illud:

Troja perdidit primum Deos.

Sic antequam Hieroſolyma a Tyto caperetur, evenere prodigia; expanſæ Delubri fores, & audita major humana vox, ſimul ingens motus excedentium. Æternum vivat, ſæculiſque perennet magna hæc Urbs (Patavium) *non tam antiquitate, & rerum geſtarum gloria, quam fide in Venetum Imperium nulli conceſſura: ingenti tamen mœrore conſternetur neceſſe eſt, luctuque & ſqualore deformis metu trepidet & contabeſcat; quod Tu Urbis ſalus & tutela, rerumque noſtrarum grande decus ac præſidium, poſt brevem moram has ſedes relinquas, adytiſque excedens, omnium ſpes ac vota tecum feras.*

Triarii loco claudat hoc agmen Italus ille Cycnus Torquatus Taſſus, qui celebri ſuo in Poemate Iſmenem Magum inducit Aladino ſuadentem, Deiparæ ut Signum, in quo, veluti intra Lares, Chriſtianorum fortuna habitare videretur, ipſo-

ipsorum e Templo curaret auferri, ea scilicet ratione Romanorum & ipse ad Evocationem amœnissimo carmine adludens. Sic igitur, uti verti, Ismenes Aladino: (1)


Cristiadum in Templo, cœca inter viscera terræ,
Tollitur Ara illi sacra, quam Populus veneratur
Ut Divam, matremque sui vult Numinis esse,
Quod perhibent dira tandem morte occubuisse.
Illius effigies vario circumdata velo
Cernitur in medio, & conlucens fax simulacrum
Perpetuo ante micat, circumque anathemata pendent,
Credula quæ longo solet ordine turba referre.
Hanc igitur nota raptam de sede, tuaque
Dextra regali in fano positam, excantabo
Carminibus sacris, ac firmum mœnibus altis
Præsidium statuam.

Quam

(1) Lib. II. Hierosolym. Liber. In princip.
Nel Tempio de' Cristiani occulto giace
Un sotterraneo Altare, e quivi è il volto
Di Colei, che sua Diva e Madre face
Quel vulgo, del suo Dio nato e sepolto,
Dinanzi al Simulacro accesa face
Continua splende, egli è in un velo accolto;
Pendono intorno in lungo ordine i voti,
Che vi portano i creduli devoti.
Or questa effigie lor di là rapita
Voglio che Tu di propria man trasporte,
E la riponga entro la tua Meschita,
Io poscia incanto adoprerò sì forte
Ch' ogn' or mentr' ella quì fia custodita
Sarà fatal custodia a queste porte:
Tra mura inespugnabili il tuo impero
Securo fia per novo alto mistero.

Quam inde pulcherrima a Virgine Sophronia; ſuoque ab Amante Olindo, Barbaris ereptam iterum ait Vates, vetere locatam in ſede, priſciſque Cultoribus reſtitutam.





CAPUT II.

Quid a Quiritibus præconceptum ad morem Evocationis.



NOTA, uti decet, prætereo & vulgata nimis, videlicet, unamquamque Gentem, ex Ethnicorum opinione, unamquamque Urbem suos habuisse Præsides, alios ab una stare parte, alios ab altera in præliis & oppugnationibus dictos; propitios ex eorum accessu, aversos ex recessu existimatos. Tutelares multi enumerantur in vulgato Epigrammate ad Custodem hortorum:

Dodona est tibi Jupiter sacrata,
Junoni Samos, & Mycena Diti,
Undæ Tænaros æquorisque Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Curem Delia, Cynthiosque colles,
Faunus Mænalon, Arcadumque sylvas;
Est tutela Rhodos beata solis,
Gades Herculis humidumque Tibur.

Cyllene celeri Deo nivosa,
Tardo gratior æstuosa Lemnos.
Ennææ Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicos ostreosa Divam,
Formosam Venerem Cnidos Paphosque:
Mortales tibi Lampsacum sacrarunt.

Antiquis etiam ex Scriptoribus Tutelarium contexuit Deorum syllabum Alexander ab Alexandro, hisce verbis: *Patrios autem dixerunt Deos, qui singulis Urbibus præsunt, illarumque Præsides & propugnatores sunt, ut Apollo & Minerva Athenis, Iliensibus & Gnosiis, qui inde illam oriundam ferunt, licet Alalcomenii suam dicant. Thebis Bœotiis Liber & Hercules, Juno Carthagini, eademque Samo, Spartæ, & Mycenis, atque Argis, ubi nata fertur: Venus Cypro & Papho, Apollo Rhodiis, Lemno Vulcanus, Naxus Libero: idemque Apollo Delphis, Tænarus Neptuno, Cyzicenis Pallas, quod ea Urbs pro dote illis fuerat. Tenediis, Tenes Deus: Alabadensibus Alabandus, Cretensibus Diana, quam Britomartem vocant: Thespiensibus & Parianis Cupido, Romanis vero Mars.* (1) Bellis vero & Urbium obsidionibus Deos ipsos haud minus quam mortales adesse dictos, æmulisque opitulari partibus quis ignorat?

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo.
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam propior Saturnia Turno,
Ille tamen Veneris Numine tutus erat.

Sæpe

(1) Lib. Dier. Genial. VI. Cap. 5.

Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem,
Eripuit patruo sæpe Minerva suo. (1)

Non indigent hæc, inquam, Commentario. Itaque ad cæremoniæ ingenium enucleandum indicare primum necesse arbitror, quanam ratione immotis Deorum simulacris, moveri excedereque Deos sibi persuaserint Romani; eos extremam ante Urbis oppugnationem, Evocationis peracto carmine, evasisse prorsus arbitrati, qui victam demum in Urbem ingressi, suis quæcumque in sedibus invenirent Deorum adhuc Signa, Romam utique, cetera inter Triumphi Spolia, deportanda.

Hocce autem existimari qua ratione potuerit ut intelligatur, animadvertamus oportet, Deos quidem a Gentibus appellata Deorum Signa, ast vim, nescio quam, inesse illis eosdem arbitratos, efficique legitimis precationibus, atque carminibus, ut ejusmodi Simulacra consecrarentur, quæ Deus inde aliquis, aut virtus ejus insideret. Ita e persona Gentilium Arnobius: (2) *Neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus signa conflunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus Numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris.* Heinc ἐνοίκησις Θεοῦ, ex prophani opinione, Vulgus, veluti suum in Signis Numina haberent οἰκητήριον. Plura quidem fateor Signa Deum a Gentibus culta, quod nullius facta manu Artifi-

(1) Ovid. Lib. Trist. II. (2) Lib. V. adv. Gent.

cis, ſed cœlo lapſa crederentur; quare miraretur & Plinius τῦ Διοπετοῦς τῆς Αρτέμιδος Auctorem a Muciano nominari. (1) Verum in iis, quæ erant Opera manuum hominum, inconſpicuam imaginabantur Numinis præſentiam, quam & Deorum numen appellabant, quo repletum dicebant undique Templum. (2) *Numen quidem ſuum*, ait Burnetius, (3) *Gentiles aliud eſſe ducebant a marmore aut trunco, aut quavis Statua conſecrata. Hanc quidem incolere quodammodo Deos ſuos credidere: ſed Incolas ab Æde, gladium a vagina diſtinguebant.*

Ipſa Philoſophia vetus, cujus in ſyſtemate impio Penates elementa erant, per quæ vivimus & ſpiramus & ſumus, Deos a ſignis diverſos edocebat; eos namque in ſimulacris, & habitaculis exiſtentes ſuis per actualiorem explicabat potentioremque aliquam & fortiorem & denſiorem cœleſtis aut totius animæ partem, quam in omnia videlicet infuſam orbis entia, nos & univerſa librare & regere & fovere, & vegetare autumabat, unde fortiore ejuſmodi in auras in vapores evaneſcente inde ſpiritu deficeret Numen, & Oracula ceſſarent. Teſtis Delphico de Oraculo Lucanus: (4)

Quis latet hic Superum! Quod Numen ab Æthere preſſum
Dignatur cæcas incluſum habitare cavernas?

Quis

(1) Salmaſ. in Solin. (2) Servius in Lib. Æneid. I.
(3) Lib. *De Statu Mortuor. & Reſurgent.* Cap. III.
(4) Lib. V. Bell. Pharſal.

Quis terram cœli patitur Deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens, mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactusque ferens hominis, magnusque potensque,
Sive canit fatum; seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aere libratum vacuo quæ sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis; Cirrhæa per antra
Exit, & ætherio trahitur connexa Tonanti.

Vulgus tamen opposita opinio, & si non vera, erat tamen veritati propior; nam Umbrarum instar, instar Imaginum ac Spirituum ab Jove ablegatos hominibus se stitisse, & cum iis aut diversatos, aut alios cum aliis colluctatos, ab iisdem devictos ac superatos modo in Signis habitasse, modo abiisse Deos perhibebat. Reapse sacris in Litteris, *omnes Dii Gentium Dæmonia* dicuntur; (1) iis autem in testimoniis, in quibus Gentium Dii meræ audiunt absque ullo sensu Statuæ, ἀψύχων esse aliquam pluribus ostensum; (2) Scriptores veluti sacri indicare optima ratione voluissent, eos qui Numina consecratis in Signis venerabantur, æque insanivisse, ac si meras Statuas, meros coluissent lapides, χάντωπῦς modo Deos, ψιλὰ ὀνόματα respexissent; vimque divinam illam, quam Simulacris inesse Idololatræ simulavere, nullam fuisse omnino, universum iccirco eorum cultum inanimi substitisse in Signo;

 quod

(1) Psal. XCV.
(2) Cleric. Art. Critic. Part. II. Sect. I. Cap. 16.



quod contra esse videbatur ex opinione Gentilium. Dæmonas in Simulacra ingressos olim, inque cavis eorum nidulatos dixere etiam Christiani nominis Patres. Totus erat, ut hac lege, & ratione Simulacrorum virtutes, & Opera enarraret Lactantius, & inprimis celebrem illum Serpentem Epidauro Romam accersitum, qui pestilentia Urbem liberasse ferebatur, sed per inhabitantem sibi δαιμονιάρχην. (1) Julius Firmicus Maternus de Serapide differens aiebat: *Sed & in ipso Simulacro, sicut in ceteris, ex assiduis sacrificiis, immundi Dæmonum Spiritus colliguntur;* (2) Heinc in Spiritibus ejusmodi a Simulacrorum antris ejiciendis labor eorum, qui primis a Christo nato sæculis, sanctitate eximia erant, & adsidua pietate conspicui. (3) Eos, inquam, Spiritus, eas Umbras accedere, excedere inde, & avolare arbitrabantur Gentiles; quare Prudentius: (4)

Absit, ut Umbra Deus tibi sit, Geniusque, Locusque,
Aut Deus aerias volitans Phantasma per auras.

Desacratis igitur Evocationis ope Simulacris vacuæ evadebant Deorum spiritu, & omni destitutæ virtute illæ sedes, uti quum, hanc ad doctrinam respiciens, eandem edocet Tullius; qui in Patriam restitutus, domum suam ingredi quum prohiberetur, veluti consecratam a Clodio, & Tana-

(1) Lib. *Divin. Inst.* II. Cap. 17.
(2) Lib. *De Error. Proph. Relig.*
(3) Act. S. Georg. Neocæs. Pont.
(4) Lib. II. adv. Symmach.

Tanagreæ cuidam Libertati dicatam: *Ista tua*, inquit adversus Clodium, *pulchra Libertas Deos Penates & familiares meos Lares expulit, ut se ipsa tamquam in captivis sedibus collocaret?*

Quod facile fieri potuisse ideo maxime Gentibus persuasum, quod imminente Urbis excidio, uti & infortunio, imaginarentur sibi, Templorum adyta & fores αὐτομάτως, suapte scilicet sponte, & absque æditui manu, aperire se, & claudere solitas esse, Deorum inde excedentium, & deferentium quas incolebant sedes, certissimum apud eos indicium; quare Statius: (1)

Terrificæque adytis voces, clausæque Deorum
Sponte fores.

Ita & Xiphilinus, *Inventa quoque sunt*, ait (2) *in Capitolio multa & magna vestigia Deorum excedentium; renuntiatumque est a Vigilibus ea nocte Templum Jovis sua sponte magno cum fragore apertum esse; Vestigia*, inquit Lampridius, (3) *Deorum in foro visa sunt exeuntium*. Quod millies & factum esse tradidere Scriptores. (4)

Cur autem deambulatorio adeo ingenio essent Præsides hi Dii, cur frequenter adeo excederent, cur facile adeo præsidio habitas relinquerent Urbes, haud ex eodem statuebant Veteres principio. Qui Civili naturalem Theologiam copulare satagebant, fato id tribuebant, veluti inexorabili ejusdem Decreto adactam crederent Gen-

(1) Lib. VII. (2) In Vitell.
(3) In Commod.
(4) Bulenger. Lib. IV. *De Prodig. Veter.* Cap. 48.

tium atque Urbium fortunam. Exoratum Jovem, ne Vellus aureum rapi fineret, hæc regessisse simulat Valerius Flaccus: (1)

Ordine cuncta suo, rerumque a Principe cursu
Fixa manent - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -
Adcelerat sed summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, & poscunt jam me sua Tempora Graii.

Abeuntem autem, belli caussa, sua a Phrygia Cybelem sic, ad discedentes non sponte sua obsessis ab Urbibus Deos respiciens, loquentem inducit Claudianus: (2)

Hoc mihi jampridem Lachesis longæva canebat
Augurium: Phrygiæ casus venisse supremos
Delapsus testatur Apex: heu sanguine qualis
Ibit Sangarius, quantasque cadavera lenti
Meandri passura moras: immobilis hæret
Terminus: hæc dudum nato placuere Tonanti.
Jamque vale Phrygiæ Tellus, perituraque flammis
Mœnia; conspicuas quæ nunc attollitis arces;
Mox campi nudumque solum, dilecta valete
Flumina, non vestris ultra bacchabor in antris:
Non juga sulcabit noster Berecynthia currus.

Celebris est Oratio, quam Magi ad Seleucum Babyloniæ Mediæque Regem habuere, dum Urbem ille ad mare suo de nomine exstrueret. Civitatibus sua fata, sicut hominibus singulis, esse inquiebant; fatalem eam necessitatem, sive bonam, sive malam, nec homines mutare posse, nec

(1) Lib. I. Argonautic. (2) Lib. In Eutrop. II.

nec Deos; Urbes feculis ftare pluribus, aut brevi cadere, juxta horas, in quas earum incidit initium: (1) Quam & iifdem verbis doctrinam Symmachus Urbis Præfectus tradebat: (2)

Sicut variæ nafcentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, fic Urbibus adfert
Hora diefque fuum, quum primum mœnia furgunt
Aut fatum, aut Genium, cujus moderamine regnent.

Heinc *urgentibus Romanam Urbem fatis*, ea præter ingenium, & inconfulto prorfus egiffe Quirites ait Livius, unde Roma demum a Gallis capta incenderetur, (3) & Annibalem Cannenfi relata Victoria in diverfum abftraxiffe fortaffe ait Florus *fatum Urbis imperaturæ*. (4) Quare & dirutis Urbibus, aut Templis earum incenfis, neceffitate veluti acti difcedere Dii cogebantur; unde ob Neronis juffu Romæ factum incendium, illo de Principe apud Tragicum Octavia: (5)

Hic hoftis Deûm
Hominumque, templis expulit Superos fuis,
Civefque Patria.

Quod fatum effe cenfebatur, voluntatem in Jove appellare folebant Poetæ, ceteris autem in Diis erga Jovem obfequium. Juno igitur, apud Maronem, jubenti Jovi, finem ut diuturno faceret Æneam inter ac Turnum bello, parituram fe regerit atque a præfidio habita difceffuram Urbe: (6)

Sic

(1) Appian. *De Bell. Syriac.*
(2) Prudent. Lib. II. adv. Symmach.
(3) Lib. V. Decad. 1. (4) Lib. II. Cap. VI.
(5) In Octav. Scen. II. (6) Lib. Æneid. XII.

Sic Dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Jupiter, & Turnum & terras invita relinquo.
- - - - - - - - - - - - - -
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.

Ita & Statius Bacchum Thebarum Deum loquentem inducit ad Jovem, qui Urbis excidium decreverat:

Cedo equidem; quo sacra tamen ritusque peremptæ
Gentis abire jubes? (1)

Sic Domitianus, *Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantemque se tueri ultra eum posse, quod exarmata esset a Jove.* (2)

Hac in Sententia evocandi vix dicti fuissent Dii, quum inviti, & ex necessitate suis e sedibus excessisse viderentur. Sic instante Syriaco adversus Antiochum bello, quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret, *Hic*, ait Florus, (3) *faventis Asiæ suæ Numinis timor erat.* Portendebat semper ille sudor infelicem adversus obsessos exitum; unde Saguntino imminente excidio ajebat Silius: (4)

Vultusque in marmore sudat Elisæ.

Et inter visa Romæ dira prodigia, dum Cæsar cum Exercitu ad Urbem accederet, ferebatur,

Indigetes flevisse Deos, Urbisque laborem
Testatos sudore Deos, dilapsaque Templis
Dona suis. (5)

Ve-

(1) Thebaid. Lib. VII. (2) Svet. in Vit.
(3) Lib. II. Cap. 8. (4) Lib. I. Bell. Punic.
(5) Lucan. Lib. Pharsal. I.

Verum longe alia in ſententia Vulgus verſabatur, quod precibus, quod ſacrificiis exiſtimabat moveri Deos poſſe, exque adverſis fieri propitios; immo iratos evadere adverſus eam, quam pridem favore proſequebantur, Gentem; quare ſic Romam precantem inducit Claudianus: (1)

Dj, quibus iratis crevi, ſuccurrite tandem.

Popularem illum ſenſum complexus eſt Tullius, dum ſcripſit: *Quamquam hæc omnia Quirites, itaſunt a me adminiſtrata, ut Deorum immortalium nutu atque conſilio geſta & proviſa eſſe videantur; idque cum conjectura conſequi poſſumus, quod vix videtur humani conſilii tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe: tum vero ita præſentes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, ut eos pæne oculis videre poſſemus. Nam, ut illa omittam, viſas nocturno tempore ab Occidente faces, ardoremquæ cœli, ut fulminum jactus, ut terræmotus relinquam, ut omittam cetera, quæ tam multa nobis Conſulibus facta ſunt; ut hæc, quæ nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur: hoc certe Quirites, quod ſum dicturus, neque prætermittendum, neque derelinquendum eſt. Nam profecto memoria tenetis, Cotta & Torquato Coſs., complures in Capitolio turres de cœlo eſſe percuſſas, cum & Simulachra Deorum immortalium depulſa ſunt, & Statuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta. Tactus eſt etiam ille, qui*

(1) De Bell. Gildon.

qui hanc Urbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis. Quo quidem tempore cum Aruspices ex tota Etruria convenissent, cædes aque incendia, & legum interitum, & bellum Civile ac domesticum, & totius Urbis atque Imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi Dii immortales omni ratione placati, suo Numine prope fata ipsa flexissent: (1) Quid mirum igitur; quod Evocationis prece faventes sibi sperarent Romani Deos, qui Præsides antea hostilium locorum erant?

Ex frequentiore autem togatæ Gentis præ ceteris Religione actos Romani credebant Præsides Urbium reliquarum Deos; ad avitas deserendas sedes, petendasque ampliores illas, ubi nundinæ veluti Cœlestium essent, & Sacrorum omnium Emporium. Romam igitur eosdem legisse dicebant,

ubi sanctior usus
Templorum cultu celebris sine fine maneret:
Æneadumque ultro victricia Signa Virorum
Regis amore Numæ nullo cogente secutos. (2)

Ausonio dicebatur

Divûm domus aurea Roma.

Videbatur mihi Romanis ea super re exquisite adulatus Maro, dum verba de Penatibus faciens, monitum in somnis Trojanum a Diis effingit,

(1) Orat. in L. Catil. III.
(2) Prudent. Lib. II. adv. Symmach.

fingit, ut relicta Creta, optatas amplioresque sedes, quas digito veluti designabant, scilicet Italiam peteret: (1)

Mutandæ Sedes - - - - -
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Hæ nobis propriæ Sedes.

Verum non assentationem Vatis, ast communem hanc fuisse togati Populi traditionem, e puriori discimus, quam unquam Idololatra effuderit, prece, videlicet e Flacci Sæculari carmine, hisce vota ad Deos concipientis:

Roma si vestrum est opus, Iliæque
Littus Etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare lares, & Urbem
Sospite cursu.

Claudianus quoque in Panegyrico Romanæ Urbis. (2)

Arcanas huc Vesta faces, huc Orgia Bacchus
Transtulit & phrygios Genitrix turrita Leones.
Huc defensurus morbos Epidaurius hospes
Raptavit placito tractu, vectumque per undas
Insula Pæonium texit Tiberina Draconem.

De intenso autem Idææ Matris Romanarum Sedium desiderio Ovidius: (3)

Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros,
Est Dea sacriferas pæne secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua Numina posci
Senserat, assuetis substiteratque locis.

Post,

(1) Lib. Æneid. III.
(2) Lib. in II. Stilich. Consul.
(3) Lib. Fastor, IV.

Post, ut Roma potens opibus jam secula quinque
Vidit, & in domito sustulit orbe caput;

Romanas deferri Dea voluit ad arces, proindeque Attalo Phrygiæ Regi ejus Romanis dare Signum recusanti dixisse ferebatur:

Ipsa peti volui; ne sit mora: mitte volentem:
Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.

Juno autem Romana de Urbe eundem ad Vatem: (1)

Pœniteat, quod non fovi Carthaginis arces:
Cum mea sint illo currus & arma loco.
Pœniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas
Et veterem Latio supposuisse Samon.
Adde Senem Tatium, Junonicolasque Phaliscos;
Quos ego Romanis succubuisse tuli.
Sed neque pœniteat: nec gens mihi carior ulla est,
Hic color, hic teneo cum Jove templa meo.
Ipse mihi Mavors, commendo mœnia, dixit,
Hæc tibi: tu pollens Urbe Nepotis eris.
Dicta fides sequitur: centum celebramur in aris.

Adesse igitur existimati sunt propugnationibus Urbium Præsides Dii, res quum secunde ac fœliciter evenirent; ubi contra adversæ essent, amicorum instar nostri temporis, sibi potius quam aliis consuluisse: Rebus demum in dubiis stare ne, an excedere decernerent, incertum, uti videlicet quum forent:

infausto stillantes sanguine Cannæ,
Et Capitolino nutantes culmine Divi. (2)

Immo

(1) Lib. Fastor. VI. (2) Heynf. Sylv. ad Jos. Scalig.

Immo etiamsi excessisse crederentur, e re tamen prospere ac ex sententia gesta, redire iterum dicebantur; unde Silius Italicus: (1)

Placavimus iras
Cælicolum; redeunt Divi.

Ea vero ex fide Simulacra Deûm, vel apud victos, si quando id datum esset, religione eximia servabantur, ut Deorum animari numine iterum eadem possent. Heinc illa cura Pontificis Trojani, heinc pietas, Simulacra Deûm Trojæ ne perirent; heinc mediis in flammis eadem Æneæ commendata; (2) heinc Iliaca Signa, tametsi violata & victa secum deferendi plusquam militaris gloria. (3)

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.

Sic capta a Gallis Senonibus Urbe, Signa Deûm alia a Quiritibus terræ celata, alia finitimas in Urbes avecta: (4) Sic & Venusinus Vates, ut ostenderet post excessum Annibalis ab Italia, post cædes Asdrubalis, & victoriam a Nerone relatam, prosperis semper præliis crevisse Romanos, erectas ait iterum Deorum Statuas suis olim de sedibus ab hostibus deturbatas: (5)

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit: & impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.

Itaque

(1) Lib. VIII. Bell. Punic. (2) Lib. Æneid. II.
(3) Lib. Æneid. I. (4) Livius Lib. V. Decad. I.
(5) Lib. Carm. VI. Od. 4.

Itaque hoſtilium Evocatione Deorum eam ſe in ſpem erigebant Quirites, fore, ut Genius ille, qui obſeſſæ Urbi præſidio erat, ſive volitans Phantaſma, ſive quid aliud eſſet, Templa, mœnia, & loca hoſtium desereret, ſeque ad oppugnatores reciperet, unde quocumque hoſtes deſtituerentur auxilio; aut ut virtus illa, neſcio quæ, Signo Dei Præſidis inconſpicuo modo adhærens evaneſceret inde, aut Deus ipſe Simulacrum antea inhabitans, excederet ultro, nova Templa, domoſque novas, & ampliores ingreſſurus Oppido expugnato Sedes.





CAPUT III.

Quibus Evocationis origo asserenda, & an propria Romanorum fuerit.



OSSII sententia est, Romanos, quæcumque habuere Sacra, ea vel habuisse ab Albanis, qui a Phrygibus oriundi, vel ab Osca Sabinorum Gente, vel a Thuscis. (1) Ego hujuscemodi in re libentius audio Tullium ita scribentem: (2) *Majores nostri statas solemnesque cæremonias, pontificatu: rerum bene agendarum auctoritates, augurio: fatorum veteres prædictiones Apollinis, Vatum libris: portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri putarunt*. Quæ verba pæne examussim Valerius Maximus mutuatus est. *Majores nostri*, inquit, (3) *statas solemnesque cæremonias Pontificum scientia: bene gerendarum rerum auctoritates augurum observatione: Apollinis prædictiones Vatum*

C

(1) Lib. *De Orig. & Prog. Idol.* I. Cap. 18.
(2) Orat. *De Harusp. Respons.*
(3) Lib. I. Cap. I.

tum Libris : portentorum depulsa Etrusca disciplina explicari voluerunt. Hisce igitur e testimoniis eruere non infeliciter datum est, Evocationem Deorum, unam utpote e statis solemnibusque cæremoniis, Pontificatui, sive Romanorum decretis ac Scientiæ Pontificum, originem debere suam. Cui enim haud satis adnotum, Numam Pompilium plures in Urbe sua instituisse, aut Romuleos ampliores fecisse ritus? Cui non satis adnotum, Ancum Marium cæremonias a Numa institutas amplificatasve restaurasse? *Mihi ita persuasi*, subdit iterum Tullius, (1) *Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta jecisse nostræ Civitatis, quæ numquam profecto sine summa placatione Deorum immortalium tanta esse potuisset*. Hæc, aut ego fallor, Evocationis doctrinam aperte sapiunt.

Duo in caussa videntur esse, quare finitimis e populis, sive ab illis quæ circum Romam erant Gentibus, Evocationis morem ad Romanos derivatum esse quis suspicari posset. Primum quidem, quod eam cæremoniam aliqui magicas inter artes, inter præstigias collocent. ἐκκλήσεις τινὲς καὶ γοητεῖαι Θεῶν ait Plutharchus (2), *præstigiæ quædam, quibus Dii eliciebantur*. Accedit Origenes dicens: ἐκ τοῦ εἰς τὰ δοκοῦντα ἐνεργέστερα τῶν νομιζομένων ἱερῶν καταχλήσεις περιέργους γεγονέναι, καὶ κατὰ τὰς ἀρχὰς τῆς ἱδρύσεως τῶν τοιῶνδε ξοάνων καὶ, νεῶν ἄς τινας κατα-

(1) Orat. *De Harusp. Respons.*
(2) Quæst. Rom. LX.

κατακλήσεις οἱ τῇ τῶν δαιμόνων διὰ μαγγανειῶν θεραπείᾳ σχολάζοντες πεποίηνται. *In sacris, quæ efficaciora videbantur, arcanæ adbibitæ fuerunt Evocationes, etiam quum primum simulacra collocata sunt, & templa constructa; quas Evocationes fecerunt ii, qui artibus magicis utentes dæmonum cultui vacabant* (1). Eadem autem ex virtute consecrari videntur debuisse, ac desacrari signa. Jam vero ejusmodi artes apud finitimos Romanis populos obtinuisse certum est, eosdemque totos fuisse in evocandis, in eliiciendis, trahendisque foras Spiritibus & Umbris. *Exstat*, ait Plinius, (2) *annalium memoria sacris quibusdam ac precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Hetruriæ est, impetratum Volsiniis, & Urbe, & agris depopulatis, subeunte monstro, quod vocavere Oltam. Evocatum est a Perpenna Rege, & ante eum a Numa sæpius hoc factitatum in primo Annalium suorum tradit L. Piso gravis Auctor. Quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine. Heinc*, subdit Plinius, *Elicium quoque accepimus Jovem*. Æquorum pariter castra obsidere prohibitum Romanum olim Consulem fama erat, quod ei procedenti, jamque operi instanti, caligo de cœlo facta fuerit, imberque vehemens, & fulgura ac tonitrua dira, veluti ab hostibus evocata: exercitu autem distracto quievisse

C 2 subi-

---

(1) Lib. III. contr. Celsum.
(2) Lib. II. *Hist. Natur.* Cap. 55.

subito procellam, & serenum fuisse ac sudum; (1) quare ad Poetæ illa:

Qui fulmina fœdere sancit,

edocet Festus, nunquam fuisse apud Majores olim aras incensas, sed ἐμπυρισμῷ, inflammatione videlicet sacrificiorum igne cœlitus evocato facta, divinam rem peractam, sive divinum ignem, quo incenderentur altaria (præsentiæ, ut ajebant, Numinis indicium, & imago nuntia perfecti rite voti) legitimo carmine, & excantationibus evocatum. (2) Itaque quum Numam Romanorum olim inventorem sacrorum in tetrica, ac tristi Sabinorum disciplina institutum fuisse fama sit; (3) quum Genitrix materque superstitionum omnium audiat Etruria; (4) inferre, uti dicebam, quis haud absque ratione posset, ab iis, quæ circum Romam erant, Gentibus fuisse ritum illum in Romanorum mores derivatum.

Hocque altera de caussa etiam magis, quod, veterum ex testimonio Scriptorum, Romani Deum, cujus in tutela Urbs ac res Romana erant, ipsiusque latinum Urbis nomen ignotum esse fategerunt, ne, quod adversus Urbes hostium fecisse se haud semel noverant, idem ipsi quoque, evulgato Tutelæ suæ nomine, hostili Evocatio-

(1) Dionys. Halicarnass. Lib. IX.
(2) In Lib. Æneid. V.
(3) Livius Lib. I. Decad. 1.
(4) Arnob. Lib. VII. adv. Gent.

tatione paterentur. (1) Accedit Terminum Deum appellatum a Livio fuisse, ***non evocatum sacratis sibi finibus***; (2) quod fana, sacellaque Tarpeji montis exaugurante Tarquinio; quum ceterorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere: eundemque apud Historicum, Etruscum Senem, Vejentem scilicet Vatem, Romano in Senatu ante Patres pronuntiasse: (3) *Sic Libris fatalibus, sic disciplina hetrusca traditum esse, ut quando aqua Albana abundasset, tum si eam Romanus rite emisisset, Victoriam de Vejentibus dari: antequam id fiat, Deos mœnia Vejentium deserturos non esse*; quod opinionis esset Deorum oppugnatas Urbes, ex evocatione ab hostibus facta, deserentium Etruscam, vicinasque apud Gentes, obtinentis indicium.

Verum erraret primum, arbitror, qui præstigiarum loco habendam duceret Evocationem, aut eas inter artes, quibus infernas animas aliqui carminibus eliiciebant, aut mortales infernis animæ Numinibus sacrabantur; nihil enim illo in ritu, illa in cæremonia invenio magicæ superstitionis, sed communioris modo principia Idololatriæ: scilicet, ad evocandos oppugnatis ab Urbibus Deos, non diræ tristesve aut maleficæ preces, non Pisonianæ devotiones, non terrificæ exaudiebantur voces; non Babylonii

 ten-

(1) Macrob. Lib. Saturn. III. Cap. 9.
(2) Livius Lib. I. Decad. 1.
(3) Lib. V. Decad. 1.

tentabantur numeri, aut Thessalici ritus; nullæ adparebant terribiles visu formæ, nullæ immanes aut adspectabiles umbræ; non clandestinæ interveniebant, ac nefandæ impuberum immolationes, aut solo ac parietibus humanorum reliquiæ corporum, ac semiusti cineres, aut ludibria Religionum, quibus de statu Reipublicæ, de vita Patrum, aut de salute Principis nefaria curiositate quæreretur; non agloophotin herbam, marmaritin appellatam, adhibebant, qua usi Magi dicebantur Diis evocandis; (1) non Synochitidem lapidem, quo in hydromantia evocari dicebantur imagines Deorum; (2) nihil denique reperire in Evocatione erat Circæorum Cytæis, ac Medeæ carminum, nihil artium Canidiæ Venusini Vatis, aut Amaryllidis Alphesibæi, quas pessima solum illa apud Romanos valuisse credimus ætate, qua prohibitæ fuerunt & Urbe pulsæ. Livius Pliniusque res uti incertas, dubiasque referunt Etruscorum illas fulgurum & imaginum Evocationes; immo horrescere dicti Romani primores, horrendos infestosque Samnitium in bello ritus, mista hominum pecudumque cæde respersos, quibus ex vetere linteo libro miles, victima magis, quam ut sacri particeps, execrabile concipiebat infernali carmine sacramentum. (3) Solum igitur opinione, solum fide, rem omnem Quiri-

tes

(1) Plin. Lib. XXIV. Cap. 102.
(2) Plin. Lib. XXXVII. Cap. 73.
(3) Liv. Lib. X. Decad. 1.

tes illi peragentes, Deos precabantur Præsides, locis, Templisque, quibus inconspicuo præsentes esse modo credebantur, excedere vellent, seque, suumque Numen ad eos recipere, qui Victores futuri fuissent, qui solemniore diuturnioreque cultu eorum Signa æternæ in Urbis sedibus essent collocaturi.

Fateor ex Livio hostilem Romanos pertimuisse Evocationem; appellatum Deum Terminum, *non evocatum sacratis sibi finibus*; emissa rite Albana aqua, dictos Vejentium Deos mœnia deserturos. Verum quis ignorat Romanos, uti cum Clerico superius animadversum, externa quæcumque Romano loquendi more, Romanoque dicendi exhibere genere, ac Romanis formulis circumvestire? Tacitus exemplum est, qui, more Gentili & interpretatione Romana, Germanorum & Svevorum Deos Mercurium, Herculem, Martem, Isidem, Castorem & Pollucem memorat, quum tamen & aliis appellatos nominibus, & alia fuisse Numina, vel ipse fateatur, & constet. Simili modo Suetonius de Cæsare: *In Gallia*, inquit, (1) *fana templaque Deum donis referta expilavit*; & tamen, uti adnotatum optime Barnerio, (2) Fana tunc temporis, & Templa in Gallia non erant, sed Luci modo sacri, Nemoraque, ac Sylvæ, in quibus reapse & hostium spolia, & immensas soli-

(1) In Vit. ejusd.
(2) Tom. II. Mythol. ex Histor. explic.

ti erant Galli adſervare divitias ; Templis Cæſarianas modo poſt victorias , acceptoque Romanorum jugo , Gallico in ſolo ædificatis . Nil autem mirum , ſi Romani primores Tutelæ ſuæ nomen occultabant , ne hoſtilem Evocationem paterentur ; proprium enim ſemper ſimplicium fuit populorum , ceterarum mores gentium ſuo e modulo metiri.

Heinc ſtatim videt quiſque, vehementiori erui momento , nunquam uſu habitam apud Orientales, Græcoſque Tutelarium Numinum, hoſtilium in Oppugnationibus Urbium Evocationem. Nam etſi Romani Scriptores externa ſoliti fuerint Gentili more deſcribere, Romanaque agendi methodo circumveſtire, nunquam tamen de cæremonia ejuſmodi memoravere, quum de oppugnationibus Orientalium & Græcorum ope patratis egerunt. Id utique feciſſent, qui de Alexandri Magni, aut ante, aut Perſicam poſt victoriam, ejuſque Succeſſorum in Aſia geſtis ſcripſere, quod mixto e Græcis, Barbariſque exercitu peractæ, Deos vel ſemel evocaſſent Victores, ſi cæremonias Italica in ſuperſtitione natas, ac pæne dixerim mortuas in moribus diſſitæ illæ Gentes habuiſſent. Quare diligenter diſtinguenda duo invicem connexa quidem, aſt tamen inter ſe plurimum diverſa. Univerſos ſiquidem apud Populos Tutelarium Deorum Religio obtinuit, ſemperque apud eoſdem maximum rerum bellicarum momentum fuit, quam propitiis rem, quam adverſis agerent Diis, unde in infœlici ſuarum obſi-

dio-

dione Urbium præsidio, & adspiratione Cælitum destitui se arbitrati; verum ars eos evocandi propria fuit Romanorum. Reapse nonnullas Gentes relate ad Deorum excessum in eadem fuisse cum Romanis sententia e Lacædemoniorum facto edocemur, qui Martis, & Apollinis Simulacra aureis conligavere catenis. (1) Idem Præsidem erga suum fecere Tyrii, ne ad Alexandri castra transiret. (2) Hujus testimonium rei apud Diodorum Siculum exstat apertissimum. *Quidam apud Tyrios*, inquit, *visum sibi obtigisse affirmabat, quo urbe se excessurum, Apollo denunciasset. Ubi quum vulgus in gratiam Alexandri sermonem hunc confictum suspicaretur, ideoque ad lapidibus obruendum hominem juvenes properarent, a magistratibus ille subductus in templum Herculis profugit, atque hoc modo Deo supplex capitis supplicium evasit. Hinc Tyrii superstitione inducti, catenis aureis simulacrum Apollinis in basi devinxere, impedituri ut persuasum habebant, Dei ex urbe migrationem.* ἑωρακέναι δέ τις ἔφησεν ὄψιν, καθ' ἣν ὁ Ἀπόλλων ἔλεγε μέλλειν ἑαυτὸν ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν. τοῦ δὲ πλήθους ὑπονοήσαντος Ἀλεξάνδρῳ, καὶ διὰ τοῦτο τῶν νεωτέρων ὁρμησάντων ἐπὶ τὸ λιθοβολῆσαι τὸν ἄνθρωπον, οὗτος μὲν διὰ τῶν ἀρχόντων κλαπεὶς, καὶ καταφυγὼν εἰς τὸ τοῦ Ἡρακλέους ἱερόν, διέφυγε τὴν τιμωρίαν, διὰ τὴν ἱκεσίαν. οἱ δὲ Τύριοι δεισιδαιμονήσαντες χρυσαῖς σειραῖς προσέδησαν τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ξόανον τῇ βάσει, ἐμποδίζοντες, ὡς ᾤοντο, τοῦ θεοῦ τὴν ἐκ τῆς πόλεως χωρισμόν. (3) Idemque

(1) Pausan. Lib. III. Laconic.
(2) Diodor. Sicul. Lib. XVII.
(3) Biblioth. Lib. XVII.

que confirmat Curtius in Tyri obſidione, ſcribens: *Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti ſpe deſtituti erant, ſed Conjuges Liberoſque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius, quidquid accideret, laturi, ſi chariſſimam ſui partem extra communis periculi ſortem habuiſſent. Cumque unus e civibus Concioni indicaſſet, oblatam eſſe per ſomnum ſibi ſpeciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deſerentis, molemque a Macedonibus in ſalo jactam, in ſylveſtrem ſaltum eſſe mutatam; quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni, metu, aurea catena devinxere ſimulacrum, aræque Herculis, cujus Numini urbem dicaverant, inſeruere vinculum, quaſi illo Deo Apollinem retenturi*. (1) Idem præſtitere aliique ſuos erga Tutelares Populi, compedibus eos vincientes, (2) ut e nummis etiam patet; (3) ne videlicet excederent, ne avitas deſererent ſedes, & ad hoſtes ſe reciperent. Hinc Græcis Thebas oppugnantibus exauditæ ad Deos ſuis in ſedibus continendos illæ preces, quas Æſchylus in Tragœdia *ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις*:

Xo: Τί *ῥέξεις, προδώσεις παλαίχθων* Ἄρης
Τὰν *σὰν γὰν ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον.*
Ἔπιδ' *ἔπιδε πόλιν,*
Ετε: Αλλ' ὖν Θεοὺς
Τοὺς *τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος*
Xo: Θεοί, *πόλιν καὶ στρατὸν καδμογενῆ ῥύεσθε.*

De-

(1) Lib. 4. Cap. 3.
(2) Ormanic. *De Veter. Relig. Camul.*
(3) De Rub. *Monum. Veter. Brix.*

Deseres o Mars Terrisenex
Tuam terram ? O auream qui habes Galeam Dæmon
Respice, respice Urbem.

Respondens vero Etheocles Virginibus:

Deos autem
Capta Urbe deficere dicitur.

Geminavit vota Populus, & inquit:

Dii Urbem & exercitum Cadmigenam defendite.

Heinc etiam Neptunus apud Euripidem;

Relinquo inclytum Ilium & aras meas.

Hacce tamen etsi communi ex opinione male quis inferret ceteras etiam præter Togatam Gentes aliquid de Evocatione cogitasse. Ex illa siquidem Populorum omnium Theologia, Deorum videlicet arcibus præsidum, accedentium, & excedentium, deserentiumque, quas pridem incoluere sedes, peculiarem statuere Quirites eos ex hostium Urbibus evocandi cæremoniam; peculiari nempe acti lege, peculiari usi formula, aut peculiari verius ex consilio, atque dominationis arcano. Porro Romanarum ingenium rerum probe ut concipiatur, quædam ad agendi principia Quiritum propria referendæ illæ sunt. Erant illa, Religionum maximum, & inenarrabile studium, Patriæ ac libertatis intensissimus amor, immensa cupido gloriæ, infinita libido dominandi, uti e sensibus Scriptorum omnium Romanorum, uti e Polybio etiam patet, (1) qui Gentis illius fuisse aiebat proprium, omnibus

(1) Lib. IV. Histor.

bus præesse velle, & regere imperio Populos; imperium dominiumque concupiscere, suspici ab omnibus optare, & cunctis adnuere; hocque in illis incredibile studium, non ad summum modo erat imperii culmen evectis, ac in maximo Reipublicæ incremento, sed ejusdem pueritiæ etiam atque infantiæ tempore, quo, uti magnis in Civitatibus evenire solet, ubi Servi quoque elatos gestant animos, nihil augustius esse Roma cupientes, unde auspicato condita diceretur, evaderetque Fortunæ sedes, sedes imperii æterna, & domicilium, & pignus, orbis caput, & ἐπίτομα τῆς οἰκουμένης, mater & Regina Urbium & terrarum domina; laudis iccirco erant & plausus & gloriæ, & universalis imperii insatiabiliter cupidi; quare optime Gradivus ad Vatem: (2)

Parva fuit, si prima velis elementa referre,

Roma, sed in parva spes tamen hujus erat.

Eorum igitur acta, & ritus, & cæremoniæ, & quicquid nec præter spem, nec præter votum accidit, ea sub imagine, eo concipiendum quum sit sub aspectu, easque ad caussas, & principia, & fines esse videatur referendum, quis haud videat Romanorum propriam fuisse Evocationis Deorum cæremoniam, quod omnium Deos Gentium sibi demereri exoptarent, ut omnes inde possent debellare populos, sacras omnium opes Romam deferre, atque per hæc universis cum Diis veluti fœdera, ac, si procul essent fraudes & iræ, omnia

(1) Ovid. Lib. Fastor. III.

omnia mortalibus rapere, ac Romani majestatem nominis diffitas ad usque Gentes & Regna fœliciter propagare? Romanus ille Ethnicus, qui apud Minucium Felicem disputat, huc usque dicta vehementissime confirmat. *Inde adeo*, ajebat, (1) *per universa imperia, provincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas magnam Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa Romanos. Sic eorum potestas & auctoritas, totius orbis ambitus occupavit: sic imperium suum ultra Solis vias, & ipsius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus, ac nominibus Sacerdotum: dum obsessi, & citra Capitolium capti, colunt Deos, quos alius jam sprevisset iratos; & per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt telis inermes, sed cultu religionis armati:* (Respice modo Evocationem) *Dum captis in hostilibus mœnibus adhuc ferociente victoria Numina victa venerantur: dum undique hospites Deos quærunt, & suos faciunt: dum aras extruunt etiam ignotis Numinibus, ac Manibus. Sic dum universarum Gentium sacra suscipiunt, etiam Regna meruerunt.* Consonat hisce Vir Cl. Stephanus Morinus, dum scribit: *Tullius Deos dicit pluraliter, ut Gentilis, Gen-*

(1) In Octav.

Gentes scilicet plures Deos agnoscebant; sed in primis ut Romanus, nam quo longius latiusque diffusum est eorum Imperium, & victoriæ numerosiores fuerunt, eo plures Deos coluerunt, quia evocare Deos urbium obsessarum, iisque aras, templa & cultum vovere solebant: quamobrem pro numero urbium captarum, & Provinciarum subjugatarum, in infinitum numerus Deorum Romanorum debuit augescere. (1)

Græci quidem plurima & ipsi, immo universa veluti Numina venerati sunt. Ast id non ex imperii cupiditate, non ex spoliis, aut Evocatione effectum, sed ex hospitalitate potius erga Deos, sive ex eorum in Hellada itinere; unde apud eosdem Θεοξένια, & peregrinationibus referta Græcanica mythologia. Sane quidem ritum, quo de agimus, aliis etiam gentibus nonnulli asseruerunt. Nam, ut Antonium Borremansium prætercam, (2) Viri Clarissimi, qui Acta Eruditorum Lipsiæ summo plausu scribunt, hujusmet nostri Operis Conspectum contexentes, operæ pretium videri ajunt, eam in quæstionem singulari studio inquirere, utrum apud gentem etiam aliam, inprimis Romana antiquiorem, nullum plane moris hujus vestigium spectetur. Persis profecto atque Ægyptiis haud ignotam fuisse Deorum evocandorum rationem e loco Alexandri ab Alexandro confici statuunt; Græcos autem ab eo ritu

(1) Differt. De Oracul.s.
(2) Vesperæ Gorninchemenses. Cap. 3.

ritu non excludendos, nisi ab antiquitatum græcarum ex asse gnaro. Allegatum Tyriorum erga Apollinem exemplum in medium proferunt; Virisque doctissimis probatam sententiam animadvertunt, qua instituta gentis Hebrææ ad Ægyptiam, Ægyptiæ ad Græcam, Græcæ ad Romanam migrasse imaginantur, quare haud inscite conjici opinantur posse, Quirites hujus ritus originem Helladi acceptam referre. (1) Nec denique a veritate alienum duxit Philippus Camerarius Tutelarium Deorum Evocationis vestigia in facto quærere arioli Balaami, haud semel a Rege Moab Balaco advocati, ut Exercitui Israelitarum malediceret. (2)

Ut sensum tamen meum candide patefaciam, haud video profecto, quî Evocatio unum ex institutis esse possit, quæ ex Hebræa gente ad Ægyptiam, ex Ægyptia ad Græcam, ex Græca ad Romanam denique migrarunt. Ut omittam enim Huetianum illud Systema, nostra ætate, nemini probari; utque haud inficiari placeat, nonnullos veterum Hebræorum ritus a posterioribus populis aliqua adservari ratione potuisse; quis imaginetur tamen Israelitas, in hostilium oppugnatione urbium, Tutelares, falsos scilicet, evocasse Deos, precatosque ut adessent, ut Hierosolymorum ad urbem suo Numine advocati properarent, ut Gentes relinquerent, & ad Dei populum

(1) Nov. Act. Erud. Lipf. 1745.
(2) Medit. Histor. Centur. II. Cap. 10. Numer. Cap. XXII.

pulum accederent? Græcos autem hoc e ritu ideo exclusimus, quod illo usos eos fuisse nullo monumento doceamur. Dum in somniis Apollo visus est dicere, ad Alexandrum se transisse, nil significare aliud voluit, ut Plutarchus docet, (1) fabulæ si credimus, nisi sibi cordi non esse ea quæ in Urbe agerentur. Catenis aut funibus devincientes Deûm Simulacra, ignorare se imo Evocationis ritum Græci satis ostendebant, quum ejus vi atque carmine, immotis adhuc Simulacris, Deorum evocatum Numen obsessa ab Urbe, Romanorum pro præconceptis, discedere soleret. Quid vero Alexander ab Alexandro, quem allegant Scriptores celeberrimi? *Persis vero*, inquit, *& Ægyptiis nullos patrios habere Deos in usu fuit, quod Evocationibus illos migrare ex Oppidis, & sine tutela deseri timerent*. (2) Si hæc vera sunt, de quibus valde dubitandum cum quod unde ea Parthenopæus hauserit, neque indicare valuit, qui cetera ad fontes revocavit, doctissimus Andreas Tiraquellus: tum etiam quod Persas & Ægyptios patria coluisse Numina satis constet; ea, inquam, si vera sunt, quid aliud sequitur, nisi eam quæ apud Romanos obtinebat cæremoniam eos calluisse, pertimuisse etiam; non vero in usu habuisse? Quum ad Pontificalem Quiritum Disciplinam spectare hunc ritum propugnamus, haud inficiamur ideo, ceteros populos

(1) In Vit. Alexand.
(2) Lib. Dier. Genial. VI. Cap. 5.

pulos aliquid de eodem audire potuisse, quod inferri modo potest ex allegato testimonio. Populis demum omnibus persuasum semper & undique fuisse, maledictiones, carmina, incantationes, & anathemata eorum, qui superno quodam, sive felici, sive infelici adflati credebantur spiritu, maximos parere effectus, non in privatos modo homines, verum etiam in regiones, Urbes, & exercitus, numquam dubitavimus; eamque ad opinionem pertinere remur factum Balaami, quod cum Evocatione tamen, Exegeticorum instar, (1) haud opportuna eruditione, minime confundendum est; siquidem varias inter incantationes, Evocatio speciale quoddam erat earum genus, Romanorum proprium; aut saltem tale incantationis genus eos modo in moribus habuisse vetera, quæ reliqua sunt, testari in præsens possunt monumenta. Num enim quia obsessis Salinusiis, Annibal Syracusanorum Legatis, ut fanis Deorum abstineret, postulantibus, respondit, *Deos incolis infensos Salinunte jam excessisse*, τὺς δὲ θεὺς ἐκτὸς Σελινῦντος οἴχεσθαι, προσκόψαντας τοῖς ἐνοικῦσιν, (2) hostilium Evocationem Deorum apud Pœnos etiam obtinuisse consequemur?

Ormanicus, qui ὡς ἐν παρόδῳ de Evocatione pertractat, eam ex Hebræorum arca ab Philistæis capta illustrare pergit, quo videlicet e facto subsequuta ea omnia, quæ peracta apud Ro-

D ma-

(1) Calmet Not. in Numer. Cap. XXII.
(2) Diodor. Sicul. Lib. XIII.

manos Evocatione evenire consueverant, arbitratur. (1) Lachrymatus est enim universus Populus, quod translata esset ob captivitatem Arcæ omnis gloria, virtus omnis, omnis fortitudo Israel; ululavit universa Civitas Silo, audito que rei nuntio, inexsuperabili dolore actus Heli, cecidit de sella deorsum juxta ostium, fractisque cervicibus estinctus est. (2) Philistæi igitur videntur tulisse tunc Arcam Dei, captivumque duxisse Numen in Azotum, ac veluti novas illud evocassent in sedes, amplioraque eidem polliciti fuissent Templa, intulisse illud Dagonis in Fanum, statuisseque juxta Tutelarem suum, ne viderentur illud habere captivum, ac victum. Sic & Nabuchodonosor tulerat vasa Templi Domini de Jerusalem, posueratque ea in Templo Dei sui. (3)

Errare tamen Ormanicum hoc in loco arbitror; Philistæi quippe arcam Dei ferentes in Azotum, eamque Dagonis in Fano statuentes, nullum se credebant abstulisse præsidium Hebræis, nullum, quem venerarentur novas, evocatum in sedes Deum, verum ut Josephus Flavius optime describit, *in Urbem Azotum eam deportarunt, & ut eximium quiddam e manubiis juxta Deum suum collocarunt*. (4) εἰς Ἄζωτον ἐκόμισαν πόλιν, καὶ παρὰ τὸν αὐτῶν Θεὸν, ὥσπέρ τι λάφυρον τιθέασι. Idem ait, iisdem-

(1) Lib. *De Veter. Relig. Camul.*
(2) Lib. Reg. I. (3) Lib. Paralip. II.
(4) Lib. VI. Antiq. Cap. 1.

iisdemque verbis, Chrysoſtomus: (1) νικήσαντες οἱ πολέμιοι, ϗ τοῦ θεοῦ τὴν κιβωτὸν λαβόντες ὡς δὴ λάφυρόν τι, ϗ ἀκροθίνιον; ἀνέθηκαν αὐτὴν τινὶ τῶν ἐπιχωρίων εἰδώλῳ Δάγων δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ: *Victoria potiti hoſtes captam Dei arcam, tamquam exuvias & opimum quoddam ſpolium donarii loco cuidam idolo conſecrarunt; cui nomen Dagon erat*. Sic quæ vaſa quondam e Templo Solymæ abſtulerat Nabuchodonoſor, ſuoque veluti trophæa, & triumphalia Deo ſpolia dicarat; Rex Balthaſar adferri juſſit, & menſæ adhiberi ſuæ, ut illis non ipſe modo, ſed & Regni Proceres, Uxoreſque & Concubinæ abuterentur, ſuorum inter laudes Deum, ut ait Daniel, (2) quod eorum virtute ſuperatum, triumphatumque autumarent Judæorum Deum, ejus exciſa domo, exciſa Gente, & Templo, detractiſque ſpoliis. *Laudant autem Deos ſuos*, ait hunc ad Danielis locum S. Hieronymus, *inſultantes Deo Judæorum, quod illis victoriam tribuentibus, bibebant in vaſis ejus*. Ex Evocationis autem principiis, ac doctrina, devictorum Numina Hoſtium fiebant Victricis Gentis propria, eaque cultu venerabatur aut patrio, aut proprio, quod & eorum numine hoſtilem ſe expugnare potuiſſe Urbem obſeſſores crediđiſſent; unde quum proſtratum Ilium eſſet, verſi Penates, ita Andromacha adverſus Græcos in Troade: (3)

 Tem-

(1) Serm. de S. Babyl. adv. Gent.
(2) Cap. V.
(3) Act. III.

Templa violastis, Deos
Etiam faventes.

Itaque Quiritibus reapse adserendam dicimus originem Evocationis, & eorum omnino propriam fuisse; ex aliquali enim facti similitudine, nisi Huetianum errare velimus errorem, haud consequitur recte, diversos inter populos similitudinem esse sacrorum, iisdemque procedere illa ex principiis, & caussis, aut eundem respicere finem. Certe (ut ex Arca Domini opportunum adferam hoc in loco ἐπισόδιον) Jerichuntina in obsidione septem dierum circuitus cum Arca fieri circum mœnia jussit Deus, septimo autem die iterum circuiri septies, septem cum buccinis septem Sacerdotibus clangentibus; (1) & tamen quam extra rem Philologorum aliquis ea omnia interpretari pergeret e militibus illis, qui

Septem numero septenaque tela
Conjiciunt? (2)

Aut quod ad expugnandas Thebas electi fuerint Duces septem? unde Nuncius in Thebaide:

Septena muros castra Thebanos premunt:
Septena Reges bella dispositi parant.

Et de quibus Statius: (3)

Sic omnibus alæ
Arctantur portis, septemque excursibus hærent;

Aut analogia facta ad obsidionem mœniorum Æneadum a Turno; quum

Bis

(1) Josue Cap. VI.
(2) Virgil. Lib. Æneid. X.
(3) Lib. Thebaid. VIII.

Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti: ast illos centeni quemque secuti
Discurrunt, variantque vices? (1)

Aut ex septeno Quadrigarum, qui in ludis, (2) qui in solemnibus (3) obtinebat Gentilium circuitu? aut demum ex septenarii philosophica, aut etiam mystica virtute numeri, aut ex cubo ipsius septenarii, quo hostilium eversiones Urbium, quo suas Hebræos metitos esse victorias Spencerus, (4) atque Bodinus (5) Rabbinica levitate contendunt? ita profecto omnia minus ad rem, uti cum decennali Trojæ obsidione minus convenit decennalis obsidio Vejorum; dicente sacro firmissimo Eloquio: (6) *Fide muri Jerico corruerunt, circuitu dierum septem.*

Conveniunt immo cæremoniæ diversarum aliquando Gentium, quarum tamen cæremoniarum sensus oppositi sunt. Barbari, Romanique Victores, veteribus Auctoribus testibus, (7) machinas, & hostium arma post victoriam cremabant; equi etiam aliquando & Viri, cuncta denique victa occidioni dabantur. Idem Hebræos præcepto Numinis jure Regio, sive quatenus Politi-

D 3 cus

(1) Virgil. Lib. Æneid. IX.
(2) Arnob. Lib. adv. Gent. VII.
(3) D. Hieronym. In Vit. Hilarion.
(4) Lib. *De Legib. Ritual. Hebr.* I. Cap. V. Sect. 13.
(5) Method. ad Histor. Cap. VI.
(6) Epist. ad Hebræos. Cap. XI. 30.
(7) Livius Lib. X. Decad. 1.
Tacit. Lib. Annal. XIII. Cap. 18.
Appian. *De Bell. Afric.*

cus eorum Dominus, Civilisque Rex, & Jehovah stator esset, imperantis, facere debuisse nemini ignoratum; unde hostium aras & ipsi, lucosque, fana & simulacra comburerent, subverterent, confringerent, atque delerent. (1) Quid tamen illam inter combustionem, & Dei præceptum? quid in tanta similitudine dissimilius? Cremata siquidem ab Ethnicis arma, ceteraque devicta ad expiandas, eluendasque lustralibus ignibus cædes; (2) immo eorundem testimonio Scriptorum, Marti, Mercurio, aliisque Bellicis Diis, capta universa, combustione illa, sacrata; e diverso cremata ab Hebræis Simulacra & anathemata Deorum, & Templa in Religionum profanarum contumeliam, & ad avertendos ab Idololatria animos. Habuere & Israelitæ suum Præsidem bellorum, Præsidem Urbium Deum, numquam tamen hostibus profuturum, etiamsi Thebæorum instar, preces concepisse aliquando visi Romanorum precibus similes, & veluti Evocationem pati pertimescerent accommodatas. Sic enim haud semel Poeta Rex: (3)

Cur Nos relinquis penitus, o rerum Parens,
Hostique dedis impio?
Colles Sionis, Numinis sedem tui
Bonus favensque respice;
Tandem resurge, & hostium superbiam
Compesce: perde funditus

Hostes

(1) Deuteronom. VI. VII. XII. XXIX.
(2) Vofs. Lib. *De Orig. & Prog. Idol.* II. Cap. 63.
(3) Psalm. LXXIII. Vers. Buchanan.

Hostes protervos, qui tuum sacrarium
Manu nefanda polluunt.

Nativa hæc erat siquidem in bellis vota concipiendi ratio, & exprimendi modus, quo æterni Numinis præsidium impetrare, aut iram ejus placare satagebant Hebræi, nil certe de ritu Evocationis cogitantes. Sic in Cantico Moysis inducitur Deus his loquens verbis: *Abscondam faciem meam ab eis;* (filiis Israel) *foris vastabit eos gladius & intus pavor..... sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Certum sane indicium, nil hostes Hebræorum præsidii posuisse in evocato Israelitarum Deo. Subdit quidem Moyses: *Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia? Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* (1) Sed cui non notum Orientale dicendi genus, & Biblicum, ut ajunt, metaphoris, imaginibus, sublimitate æque & emphasi refertum? Quamvis enim inducantur loquentes Hebræorum hostes de vero Numine destituente Israelitas, id tamen Evocationis eos tribuisse ritui nec Moyses adserit, nec potest concipi; quum id immo distulisse Deus repræsentetur, quod non iræ & derelictioni suæ, sed humanis potius viribus tributum illud iri a Gentibus cognosceret. Madianites ille miles, qui sacrum apud Auctorem ajebat: *Tradidit Dominus*

(1) Deuteron. Cap. XXXII.

(Deus Madianitarum Tutelaris) *in manu ejus* (Gedeonis) *Madian & omnia castra ejus*, (1) videtur Æneæ instar de Jove Græcis favente loquutus:

Ferus omnia Jupiter Argos
Transtulit, (2)

Aut loquutus illius instar alterius Vatis, juxta quem, se pro Cæsare Pharsalicis in campis declarare incipiente Fortuna, Pompejus Hostis ad castra

transisse Deos, Romanaque fata
Senserat infelix. (3)

Et tamen quis imaginaretur ab Gedeone Madianitarum Præsidem evocatum fuisse Deum? Satagebant Madianitæ quidem infensum facere Hebræis Israelitarum Deum, verum non Evocatione id aut prece peragebant, sed, ut ait Chrysostomus, puellas alienigenas exornantes, collocantesque in exercitus Israelitici conspectu, lenocinabantur homines ad stuprum primo, denique ad impietatem. *Antiquitus enim*, inquit Sanctus Pater, *Deus dux erat bellorum, & absque illius sententia, numquam attingere pugnam ausi fuissent Hebræi, bellumque ipsis pietatis fiebat argumentum. Nec enim ex corporis infirmitate, sed propter peccata vincebantur, si quando victi sunt: nec potentia & fortitudine, sed superna benevolentia vincebant, quandocumque vincebant.* ---- *Hoc*

(1) Lib. Judic. VII. 14.
(2) Lib. Æneid. II.
(3) Lucan. Lib. Pharsal. VII.

Hoc itaque scientes Madianitæ , & cognoscentes gentem illam inexpugnabilem esse , & machinis quidem & armis expugnari non posse , peccato vero tantum ipsam capere facile esse , Virgines speciosas ornantes , & ante castra statuentes , ad lasciviam milites provocabant , per fornicationem , Dei auxilium auferre studentes ; quod quidem evenit . τοῦτο γοῦν συνιδόντες οἱ Μαδυναῖοι , καὶ γνόντες ὡς ἀκαταμάχητόν ἐστι τὸ ἔθνος ἐκεῖνο , μηχανήμασι μὲν καὶ ὅπλοις ἀμήχανον αὐτὸ καταγωνίσασθαι , ἁμαρτίᾳ δὲ μόνον δυνατὸν αὐτὸ ἑλεῖν , παρθένοις καλλωπίσαντες εὐμόρφους , καὶ στήσαντες ἐπὶ τῆς παρατάξεως , εἰς ἀσέλγειαν ἐξεκαλοῦντο τοὺς στρατιώτας , διὰ τῆς πορνείας ἀποστῆσαι τοῦ θεοῦ τὴν συμμαχίαν σπουδάζοντες , ὅπερ δὴ καὶ συνέστη . (1) Unus inter Hebræos Amasias , Idumæorum post cædem , captis filiorum Seir Diis , statuisse eos dicitur in Deos sibi , & adorasse eos , & adolevisse illis incensum ; quod adeo tamen extra sanctæ Gentis morem erat , ut iratus adversus Amasiam Dominus , miserit ad illum Prophetam , qui diceret ei : *Cur adorasti Deos , qui non liberaverunt populum suum a manu tua ?* (2) Notumque omnibus , quid Achano acciderit , ob anathema raptum , e spoliis expugnatæ Jerichuntis. (3) Calebum igitur Josuamque, qui , postquam promissam lustrassent terram , ut territum ceteris ab exploratoribus Populum a metu revocare valerent, dixerunt : *Ne timeatis populum*

---

(1) Homil. XIV. ad Pop. Antioch. V. Numer. XXV.
(2) Lib. Paralip. II. Cap. 25.
(3) Lib. Josue Cap. VII.

pulum terræ hujus : receſſit ab eis omne præſidium ; (1) non imaginari debemus ad evocatum eos voluiſſe reſpicere Numen ; ſed conſilia innuiſſe, robur, virtutem & audaciam reſiſtendi, Principes ac Duces exactos, Jobum præſertim eorum olim Defenſorem ; (2) aut, uti verius Septuaginta vertunt : Abſceſſit tempus ab eis ὁ καιρὸς ; ſcilicet, ut vetus Interpres παραφράζει, *conſummatum eſt ſtatutum eorum, & attigit tempus, quo dictum fuit Abrahamo Patri noſtro, ætate quarta revertentur huc ;* (3) quibus ex omnibus confirmatur apertiſſime, quod Viris harum rerum peritiſſimis frequens adnotatum ; valde videlicet lubricum eſſe, Orientis Theologiam e Græca, vel Romana judicare, (4) quod in bellica maxime Religione verum eſt ; nec enim eodem ritu diverſarum regionum, diverſarum ætatum Gentes, aut eadem ratione ſe geſſere, dum auxiliare carmen, dum Epinicia, dum militariter Pæana canerent, bellicaſve commilitonibus Diis offerrent hecatombas.

CA-

(1) Lib. Numer. Cap. XIV. 9.
(2) Fagius Comment. in Cap. Numer. XIV. 9.
(3) Pheſiftha in Not. Major. ad Numer. XIV. 9.
(4) Spencer. Lib. II. *De Leg. Ritual. Hebr.* Cap. XIII.



CAPUT IV.

Ex jure bellico Romanorum necessitatem ortam Evocationis.



Qui omnia suos ad mores, propriamque referunt ad ætatem, haud facile necessariam dicerent Evocationis cæremoniam; qua enim de caussa, inquient, quo jure expugnatarum Urbium Templa, post obsidionem, atque Victoriam, exspolianda a victoribus erant? Cur captis hostium mœnibus, divitiis, profanis ceteris egestis, atque humanis etiam corporibus in servitutem redactis, sacra adhuc ornamenta, Templorumque donaria, Deorum Signa, pecuniæ sacræ juris Victorum efficerentur? Hoc tamen certum erat, Veterum si testimonia, si jus veterum bellicum respiciamus, Pausanias morem fuisse Græcis, Barbarisque communem ait, ut res sacræ arbitrii eorum fierent, qui Urbes cepissent. Sic Jovis Hercæi Simulacrum Troja capta concessum

Sthe-

Sthenelo, multaque alia ejus moris exempla commemorat. (1) Thucidides vero: τὸν νόμον τοῖς ἕλλησιν εἶναι, ὧν ἂν ἦ τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης ἦν τε πλέονος ἦν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ ἀεὶ γίγνεσθαι. *Jus hoc*, ait, (2) *apud Græcos esse, ut qui imperium obtineant in terra aliqua magna, aut parva, eorum sint & Templa*. Eo usos fuisse Carthaginienses jure discimus ex naufragio exercitus Annibalis ab Italia recedentis: (3)

Hinc varia ante oculos facies, natat æquore toto
Arma inter, Galeasque Virum, cristæque rubentes
Florentis Capuæ, & gaza seposta triumpho,
Laurens præda Ducis, tripodes, mensæque Deorum,
Cultaque nequicquam miseris Simulacra Latinis.

Immo valde confirmatur ex Tullio, (4) Plutarcho, (5) Appiano, (6) referentibus Scipionem, diruta Carthagine, Siciliæ Populis denuntiasse, ut erepta sibi a Pœnis Insulam bello infestantibus donaria, anathemata, & Signa sacra repeterent, quæcunque agnoscere possent; ipsumque Classe revectum in Urbem, triumphum egisse omnium nobillimum, Statuis refertum atque donariis, quæ Carthaginienses tot per ætates, ex tot victoriis orbe toto patratis, in Africam comportaverant. Eo tamen jure nulla gens usa frequentius est, quam togata; qua de re pluribus agit Grotius in Opere de Jure belli & pacis, ubi inquirit an sacra cadant sub potestate

(1) In Arcad. (2) Lib. IV.
(3) Sil. Ital. Lib. XVII. (4) In Verr. IV.
(5) In Apophtegm. (6) De Bell. Punic.

ſtate Victoris. Nos autem ſelectiora originalibus olim e Scriptoribus conlecta in medium adducemus. *Mos vetus*, inquit Livius, (1) *erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus jungerentur amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina, humanaque dediſſet; obſides accepti, arma dempta, præſidia Urbibus impoſita forent.* Heinc Plauti illa: (2)

Urbem, agrum, aras, ſocos, ſeque uti dederent.

Et rurſus:

Deduntque ſe, divina, humanaque omnia.

Sic quum Cæſar belli civilis tempore adiret Urbem cum Exercitu, adtonitam eam ex metu reperit,

namque ignibus atris
Creditur, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
Sparſuruſque Deos. (3)

Et Lesbienſes ad fugientem Pompejum: (4)

Accipe Templorum cultus, aurumque Deorum
Accipe: ne Cæſar rapiat, Tu victus habeto.

Jura enim belli latius patebant olim, quam hodie; nec magis olim Templis, Aris, ac Sacerdotibus, quam prophanis ædibus, ac hominibus parcere videbantur: eaque ratione excuſatus Homericus Agamemnon, qui Apollinis Pontifici demiſſe petenti, ſe Filiam numquam red-

(1) Lib. VIII. Decad. 3.
(2) In Amphitr.
(3) Lucan. Lib. Pharſal. III,
(4) Idem Lib. Pharſal, VIII,

redditurum adfirmavit, conviciisque lacessitum tanto cum rubore, atque contemtu a se depulit; quod jure belli Chryseis Agamemnoni obtigisset in prædam. (1) Heinc etiam Maro Græcis vastantibus Trojam: (2)

Nec Te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Heinc & Venusinus Vates, dum Junonis sub persona victorias ominatur Romanorum, fore pollicetur, ut, (3)

Stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis,
. . . .
Omne sacrum rapiente dextra.

Miror ego scripsisse Sallustium, Populo Romano a principio inopi, melius visum amicos, quam servos quærere; tutiusque ratum volentibus, quam coactis imperitare; (4) neque victis quidquam præter injuriæ licentiam eripuisse. (5) Nempe virtutes Veterum exaggerat, ut vitia suæ ætatis amplificet. Non enim publica, & prophana modo omnia, verum etiam Sacra victoris in potestatem venire consueverant, & fana ipsa spoliari, uti de iis, quæ victis accidere jure solebant, Orationem habens ajebat eundem apud Sallustium Cato; neque se super capta, aut dedita urbe supremo, ac tuto uti imperio.

(1) Riccius Dissert. IX. Homeric.
(2) Lib. Æneid. II. (3) Lib. Carm. III. Ode 3.
(4) De Bell. Jugurth. (5) De Bell. Catilin.

perio credebant Quirites, si ejusmodi veluti libertatis imagines adhuc hostis servaret. Vel in ipso Romani populi exordio jure concipi id debere evincit ipsa deditionis formula apud Livium, ita de Collatia Sabinis a Romanis adempta scribentem: *Rex* (Tarquinius) *interrogavit, estisne vos Legati oratoresque missi a Populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* (1) Hoc Gentium, hoc imperatorium jus, bellicam legem Veteres vocavere; easque usurpavere aliquando voces non Gentiles etiam Viri. Augustinus Pompejum adyta Hierosolymorum Templi, a quibus soli non arcebantur Pontifices, ingressum ait *non devotione supplicis, sed jure victoris* (2). Idemque Templum excidio a Tito datum Flavius memorans, factum addit, τῷ τοῦ πολέμου νόμῳ. (3)

Nulla igitur apud Romanos Urbium deditio erat absque deditione Sacrorum, uti nulla ab eisdem erat adversus Urbes hostium relata victoria, nisi captos inde, victosque referrent Deos. Quare Princeps Legationis Campanorum, etiamsi sponte Quiritibus se dedentium, *Quan-*

(1) Lib. I. Dec. I.
(2) Lib. XVIII. *De Civit. Dei*. Cap. 45.
(3) Lib. V. *De Bell. Judaic.* Cap. 24. 34.

Quandoquidem, inquit, (1) *nostra tueri adversus vim, atque injuriam justa vi non vultis, vestram certe defendetis. Itaque populum Campanum, Urbemque Capuam, agros, Delubra Deûm, divina humanaque omnia, in vestram, Patres Conscripti, populique Romani ditionem dedimus, quidquid inde patiemur, dedititii vestri passuri*. Videtur hæc immo unica fuiſſe deditionis formula. Spurius quippe Poſthumius haud teneri populum Romanum factam ad Caudium injuſſu ſuo exequi deditionem ſuadens, *An si ea superbia*, inquiebat, (2) *qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coegissent nos verba legitima dedentium Urbes nuncupare, deditum Populum vos Tribuni diceretis? Et hanc Urbem, Templa, Delubra, Fines, aquas Samnitium esse?* L. denique Attilius, domita Capua, ex auctoritate Senatus Plebem in hæc verba rogavit: (3) *Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium, ditionemque Populi Romani Fulvio Proconsuli, quique una secum dediderunt agrum Urbemque, divina humanaque utensilia, sive quid aliud dediderunt: de iis rebus quid facere velitis, vos rogo, Quirites*. Quod etiam jus, qui mos ex eo confirmatur vehementer, quod alicui dum parcerent Populo Romani, Sacra etiam ſua, Deoſque redderent antea captos, uti quum relata de Latinis omnibus

(1) Livius Lib. VIII. Decad. 1.
(2) Idem Lib. IX. Decad. 1.
(3) Idem Lib. VI. Decad. 1.

bus victoria, ne populosa ex regione vastam efficerent solitudinem, diversa ratione erga singulos egere. Lanuvinis nempe Civitas data, Sacraque sua reddita, ea solum conditione, ut ædes, Lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum Populo Romano foret. (1)

Jam vero nimii essemus, si pluribus id a nobis esset ostensum; quare ea in medium ferre tantum constituimus, quæ duo eximii imperio consulari Viri apud Patres disseruere. De diruta Syracusarum Urbe, de ablatis Deorum Simulacris, Templorumque donariis, ac ornamentis gravissime querebantur apud Senatum Siculi, adversus quos M. Marcellus, qui tanti facinoris arguebatur, Orationem habens, *Ego* inquiebat, (2) *Patres Conscripti, Syracusas spoliatas si negaturus essem, numquam spoliis earum Urbem Romam exornarem: quæ autem singulis victor aut ademi, aut dedi, cum belli jure, tum ex cujusque merito satis scio me fecisse*. Latius alter Cos. C. scilicet Flaminius hoc de jure Victorum adversus victos pronunciavit. Lamentabantur apud Patres Ambraciensium Legati, quod sibi, quum in pace essent, imperataque a prioribus Coss. fecissent, & eadem præstare obedienter M. Fulvio parati essent, bellum idem adhuc gravissimum intulisset: agros iccirco de-

E popu-

(1) Livius Lib. VIII. Decad. 1.
(2) Idem Lib. VI. Decad. 3.

populatos dicebant, terrorem direptionis, & cædis Urbi injectum, ut eo metu claudere cogerentur portas: obsessos deinde, & oppugnatos se, omnia belli exempla patrios adversus Lares edita, cædibus, incendiis, ruinis, direptione Urbis: Conjuges Liberosque in servitium abstractos: bona adempta: & quo supra modum moverentur, Templa tota Urbe spoliata ornamentis: Simulacra Deum, Deos immo ipsos convulsos a sedibus suis ablatos esse; parietes, postesque nudatos, quos adorarent, ad quos precarentur, & supplicarent, Ambraciensibus vix superesse. Jamque flectebantur Patres, quum M. Fulvii caussam excepit C. Flaminius, qui, *veterem, & obsoletam viam ingressos Ambracienses dixit; Sic M. Marcellum a Syracusanis, sic Q. Fulvium a Campanis accusatos: quin eadem opera T. Quintium a Philippo Rege, M. Acilium, & L. Scipionem ab Antiocho; Cn. Manlium a Gallis, ipsum Fulvium ab Ætolis, & Cephaleniæ populis accusari paterentur? Ambraciam oppugnatam, & captam, & signa inde, ornamentaque ablata, & cetera facta, quæ captis Urbibus soleant, negaturum aut me pro M. Fulvio, aut ipsum M. Fulvium censetis Patres Conscripti? qui ob has res gestas triumphum a vobis postulaturus sit? Ambraciam captam, Signaque, quæ ablata criminantur, & cetera spolia ejus Urbis ante Currum laturus?* (1) A Quiritibus igitur qui victi

(1) Livius Lib. VIII. Decad. 4.

victi erant; ita deditionem pacisci non poterant, ut a militari licentia, sive Victoris a jure, Deorum & Signa; & Sacra immunia efficere possent; severe nimium distinguentibus Romanis, quorum esset dare in bello leges, quorum accipere, perpetua scilicet ex consuetudine; nullam accipiendi armato, seu potius omnibus antea non nudato ab hoste conditionem. Bellicum hoc attamen jus cum ceteris principiis operandi Quiritum erat componendum, cum Religionum scilicet studio, cum Locorum Religione, cum opinione de Diis suarum direptionem opum vindicare solitis: Non enim Tutelares modo ubique Romani Advenæ venerati, sed & eorum Templa; & luci, ceteraque θεοῖς ἀνημένα loca summæ observantiæ erant, summæ apud eos; ac infinitæ reverentiæ; immo in bello auspiciis adeo, adeo religionibus addicti erant Romani; ut ea de caussa eorum Duces pulcherrimas amittere coacti sæpe fuerint vincendi occasiones; (1) Romanorum namque seipsum amore Religionis exhauriebat Imperium, & apud eos bene agendarum rerum curam nimia cæremoniarum copia dissolvebat; quare prima videtur fronte eos bellum, in quo sæva exerceri, jubeique publice vetita privatim solent, in quo præ armorum strepitu leges exaudiri non possunt, odio habere debuisse. Itaque quis inde consequi aperte non videat, necesse prorsus fuisse,

 ut

(1) Freinshem. ad Lib. VII. Curt. Cap. 1.

ut Deos suis e Lucis, ac Templis, suis e sedibus, ex antris, & Simulacris suis exire compellerent Quirites, antequam hostilium in expugnatione Urbium eas Sedes, ea Templa vi ac ferro, flammisque cum Urbe, ac mœnibus everterent, antequam aras, ac fana, donaria, ac Sacra militari jure, ac impetu diriperent, ne infando pollucrentur sacrilegio? Hoc nempe docuit apertissime Servius. *Evocabantur*, inquiebat, (1) *ab Hostibus Numina propter evitanda sacrilegia*. Cur enim Deorum iræ occurrendum pro sua Religione Romani haud fategissent, cur impii, ac sacrilegi esse voluissent, Diis, uti autumabant, ipsis suarum direptionem, ac populationem opum vindicare solitis, neglectamque locorum Religionem aperte adeo, adeo severe ulcisci? Ut de suppliciis taceam, quibus ob violata asylorum jura affecti tot Populi, eorum sententia, fuerunt, (2) ut taceam horrenda de voce Templo Matutæ Matris edita cum tristibus minis, ni nefandos ignes Latinorum Milites procul delubris amovissent; (3) utque prætercam Isidis spectrum visum, dum Mithridates Rhodum oppugnaret, magnam vim ignis in Oppugnantium jaculari machinas, unde Expugnationem desperans Rex e Rhodo movere cogeretur; (4) utque taceam quæ de Japygibus, ceu

(1) In Lib. Æneid. II.
(2) Ritherfusius Lib. *De Jure Asyl.* Cap. X.
(3) Livius Lib. VI. Decad. 1.
(4) Appian. *De Bell. Mitridat.*

ceu credita, refert Athenæus, *Japygum Duces adversus Numina contumeliosos fuisse, ex adytis nempe & fanis Deorum Imagines diripuisse, præsfantes præstantiores ad Viros illas commigrare: Itaque fulmine percussos, igne simul & ære pœnas exsolvisse*; τοὺς δὲ ἡγεμόνας τῶν Ἰαπύγων ἐφυβρίζοντας τὸ θεῖον, π᾽ρθεῖν ἐκ τῶν ἱερῶν τὰ τῶν θεῶν ἀγάλματα, προειπόντας μεθίςασθαι τοῖς κρείττοσι. διόπερ ἐξ οὐρανοῦ βαλλόμενοι πυρὶ καὶ χαλκῷ ταύτην διέδοσαν τὴν φήμην: (1) ast in ore tamen popularis famæ erant Xersis, (2) Brenni cujusdam, (3) & Alexandri copiæ; (4) Pyrrhus, (5) & Antiochus, (6) Dolabella, (7) & Turulius Antonii Præfectus, (8) quod ob violata, spoliataque in bello Templa pœnas Tutelaribus dedissent, unde ultionum hujusmodi inexsaturabilium universas apud Gentes obtinuerat memoria. Heinc illa recentis Poetæ carmina: (9)

Quid memorem Gazas, immensaque præmia Thebis
Rellata ex Italis? & parta trophæa beatis
De loculis, saccisque? intactas sub juga gemmas
Isse? triumphatum quod rerum cuncta triumphat
Aurum, atque argentum? captis donaria Templis

 Sacri-

(1) Lib. Deipnosoph. XII.
(2) Herodot. Lib. VIII.
(3) Justin. Lib. XXIV.
(4) Lactant. Lib. *Divin. Instit.* II. Cap. 8.
(5) Valer. Max. Lib. I. Cap. 2.
(6) Appian. *De Bell. Syriac.*
(7) Cicer. Action. II. in Verr.
(8) Valer. Max. Lib. I. Cap. 2.
(9) Anonym. Sat. N. C. S.

Sacrilega direpta manu? Simulacra Deorum
Conflata in pretium? lances, calicesque sacratos
Luxuriæ addictos, Bacchoque, epulisque prophanis?
Non impune tamen. Namque hæc tam barbara facta
Implevere sua cælestia Regna Mephiti;
Et nasum tulere Dei. Tunc Phœbus Apollo
Bile jecur tumidus, correptum protinus arcum,
Tota ope connixus, plenum conduxit in orbem:
Densaque pestiferi contagibus illita Viri
Spicula sacrilegi direxit in agmina Brenni.
Et multas Heroum animas, ipsumque supremum
Induperatorem stygio demisit Averno;
Corporaque exanimum dispersa reliquit in arvis
Alitibus carpenda feris, canibusque, Lupisque,
Neve inhumata forent, vivis carpenda sepulchris.

Heinc sua in Argenide Barclajus, haud obscuram simulabat fuisse inter Sardos famam, contigisse ira Deum, eam, quam descripserat, Regibus, ac patriæ cladem, ob violatam, uti fingit, a Radirobane Religionem Templi, quod sanctissimum habebant, decem a Callari millibus, Jovi cælesti nuncupatum: multa fuisse ex auro, argentoque ad aram donaria, & ipsius Numinis breve Signum solido auro priscis a Regibus sacratum; quæ omnia Radirobanes in Africam trajecturus, inani mutui nomine, belli in sumptum diripiens, ipso quoque Sacerdotes contumeliose repulerat; jam tum quidem multorum tristi præsagio, omni denique in Sardos calamitate sequutum. (1) Tantarum igitur

(1) Lib. V.

tur fama ultionum, Romanorum animos, nedum ab inconsuetis illis Fanorum direptionibus, verum & ab quacumque Urbium, Diis semper sacratarum, obsidione arcere debuisset, nisi Evocationis ope, Diis, ac Locorum Religioni legitime satisfactum fuissent arbitrati, sibique veteri ex institutione, scitisque Pontificum certissime persuasissent, Evocationis legitimo recitato carmine, nec violata exinde quæ exaugurata censebant loca, nec repleta adhuc Deorum numine Templa, nec res inter sacras enumeranda iterum aut Deum Signa, aut ἀναθήματα, nec læsos inde Tutelares Deos, nec in oppugnato adhuc superesse loco, sed alias ad Sedes, alia eos perrexisse ad Templa, devictam ad Urbem numquam reversuros.

Notanda heinc ἀβλεψία, qua laboravit Grotius, quod hanc in tempore, seu potius in loco non respexerit Evocationis doctrinam, & cæremoniam. Ille postquam docuisset, jus Gentium merum, seposita officiorum aliorum consideratione, Sacra in bello non excipere, cujus rei & exempla tulit, & testimonia, subdit: (1) *Illud tamen verum non est* (jus Gentium scilicet Sacrorum potestatem permittere) *si quo in Simulacro Numen aliquod inesse credatur. Id violari, aut corrumpi nefas ab iis, qui in ea persuasione conveniunt: & hoc sensu impietatis, aut læsi etiam Gentium juris accusantur interdum, qui talia commise-*

(1) Lib. III. *De Jure Bell. & Pac.* Cap. 5.

miserunt , nimirum ex talis opinionis positione . Aliud est , si hostes non idem sentiant : sicut Judæis non permissum tantum , sed & præceptum est Gentium Simulacra abolere. Sciebant quippe Hebræi Dei certissimo monitu in Simulacris illis non habitare aut Dei Spiritum , aut bonos Angelos , aut vim Astrorum , ut deceptæ Gentes existimabant , sed pravos , & humano generi infestos Dæmonas ; non mirum ergo est , si Templa profani cultus a Machabæis incensa non semel legimus . Sic & Xerses cum Simulacra Græcorum corrupit , nihil fecit contra jus Gentium , etsi multum id ad invidiam exaggerant Græci Scriptores ; nam Persæ non credebant in Simulacris esse ulla Numina , sed Deum esse Solem , & portionem ejus aliquam ignem . Hæc Grotius, cujus equidem per se vera sententia, Historiæ tamen accommodata, nisi ad Evocationem confugiamus, inexsuperabiles rapit animum in ambages; consequeretur scilicet, vel Romanis Hebræorum instar, instar Persarum, persuasum fuisse in devictarum Urbium Signis nullum, ante oppugnationem etiam, inhabitare Spiritum, vim Deorum nullam, nullum Genium; vel alios coluisse, alios invisos habuisse Deos; vel denique omnium Signa sacra Gentium, & ornamenta Templorum Romam deferentes, sacrilegos, impiosque fuisse, & juris Gentium Osores.

Hæc vero omnia ut opposita inter se sunt, ut ἐναντιώματα frequens Gentilium in sententiis actisque invenimus; ast conciliari tamen haud possunt cum veritate. Quid enim certius, quam

cre-

creditum a Romanis fuisse, Deos in Simulacra ingredi, ad ea accedere, in illis habitare, ab eisdem exire demum, excedere, & avolare? Quid certius, quam Romanos Religiones omnes coluisse, didicisse, adoptasse, universarum Gentium Sacra suscepisse, initiasse ritus omnium Religionum, eosdemque ubique Deos, ut ajebant, immortales esse credidisse? Universa hoc ostendit historia, universi eorum Auctores. Optime S. Leo de Urbe Roma: (1) *Hæc autem Civitas ignorans suæ provectionis Auctorem, cum pene omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem*. Quare certum etiam, nullos invisos habuisse Deos, nullius Gentis abominatos fuisse Sacra, ea scilicet, quæ receptas Religiones falsitatis non arguebant; exque Sacrorum dissonantia caussam inferendi cuiquam belli numquam prætexisse Quirites, (2) ceteroquin ad effingenda belli motiva adeo proclives, φιλοπολέμυς adeo, adeo in occasionibus aliena diripiendi utcumque captandis, simulandisque faciles. Ergo, inquiet Grotius, eorum Signa absque piaculo rapere Romani non potuissent. Utique, reponam, si Deos moram in Simulacris adhuc trahere credidissent: si excessisse eos haud fuissent arbitrati: uti reapse hujusmodi in opinione erant ex Evocationis doctri-

(1) Serm. I. in Natal. SS. Apost. Petr. & Paul.
(2) Salmas. in Solin.

ctrina, cæremoniis, & carmine. Hunc juxta sensum interpretanda Poetæ illa: (1)

Colui vestros si semper honores
Quos contra Æneadæ bello facere prophanos:


Et ad eundem referenda Macrobii verba: (2) *Bellum omnia profanat*; uti & Pomponii Jurisconsulti: (3) *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse*; non ea ratione modo, ut ait Grotius, quod quæ sacra dicuntur, revera non eripiuntur humanis usibus, sed publica sunt; sacra autem nominantur a fine, cui destinata sunt. Hæc contemplativam sapiunt hominis jurisprudentiam, non practicam Romanorum Religionem. Itaque desinebant esse sacra, prophanaque esse apud Romanos cœperant, quod recitato Evocationis carmine exaugurata censerentur, sine Deum Numine, absque divina vi, & Spiritu omni vacua illa Signa, iccirco sacrilegium omne, ea ex doctrina, Quirites evitarent. Sane si Deorum Simulacra, & ornamenta Templorum a Romanis, expugnatione quacumque peracta, Romam delata fuere, cur hominum superstitiosissimos in belli maxime negotio, & Deos omnes, pro Imperii arcano, summo cultu veneratos, dicamus esse voluisse sacrilegos? Cur fuisset apud eos jus Gentium, quod inaudito absque piaculo peragi a nemine animata fasso Simulacra potuisset? Extra rem immo nec fortasse esset, si hanc Deo-

(1) Lib. Æneid. XII.
(2) Lib. Saturnal. III. Cap. 3.
(3) Lib. XI. Pandect. tit. 7.

Deorum Evocationem, unam fuisse arbitraremur ex caussis, quibus belli jura res etiam ad sacras extendere Quirites. Cur enim exauguratis parcerent Simulacris, cur ornamenta Templorum inviolata relinquerent, Diis, eorum sententia, jam alio se receptis, & oppugnatæ Urbis exsecratis quasi sedibus? Ea quippe ex opinione, Diis semel evocatis, eadem erant Quirites cum Hebræis, ac Persis in navi, scilicet prophana existimare poterant, quæ olim fuerant sacra, eaque consequenter jure corrumpere, ac rapere. Hac utique de caussa Christiani Imperatores, vel in pace, Ethnicorum Simulacra inculpate violare se credebant, eos ad id privata Religione, cui prophana omnia quæ apud alios sacra, & Antistitum impellente doctrina. *Tollite, tollite*, ajebat Julius Firmicus Maternus, (1) *tollite securi, sacratissimi Imperatores, ornamenta Templorum. Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria universa ad utilitatem vestram, dominiumque transferte. Post excidia Templorum in majus Dei estis virtute provecti.*

CA-

(1) Lib. *De error. Prophan, Religion.*



CAPUT V.

Romanorum Ærarium Evocationis ope exquisito fuisse modo locupletatum.



T Reipublicæ Ærarium solius Evocationis ope locupletatum non fuit, ita neque ex ea semper. Primis nempe temporibus,

Vincere quum Vejos posse laboris erat:

Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima præda

Nomentum, & captæ jugera parva Coræ, (1)

Hostium ejusmodi expugnatis in mœnibus ea vix invenisse Quirites arbitror, quæ superstitionem explerent, non φιλαργυρίαν, aut avaritiam. Quid enim frequentius illa ætate, quam exigua in æde fictilibus, ligneisque Diis, aut deasciato supplicare lapidi? Quæ pretiosa magis Simulacra, quam ex ebeno, cedroque facta? (2) Ex quo consequi necesse est, evocatos illos, tum quum cir-

(1) Propert. Lib. IV. (2) Salmas. in Solin.

circum suam luctabantur Romani matrem, Deos nec Æsculanos fuisse, nec eorum Ærario conferre potuisse: heinc ad hominum Religionem modo morem illum prima tempestate esse referendum. Feretrius equidem vocatus fuit a Romulo Jupiter, a ferendis videlicet spoliis, quasi triumphator, τροπαιῦχος, & quod ad eum triumphi spolia Victores ferrent. Verum ejusmodi spolia, Deorum instar, instar cæremoniarum illius erant temporis, simplicia scilicet, rudia, ac ignobilia.

Licet vero vel ante devictam Græciam omnia hostium Sacra, divitiasque Templorum abstulerint Romani, sacram tamen in prædam nunquam cupide involarunt magis, quam debellatis Asiæ, ceterisque extra Italiam Populis. Immo quum primum Græcanicas etiam obtinuere victorias, quid Signa Deum affabre facta essent, vix dignovisse videntur. *Mummius*, si Vellejo Faterculo fides, (1) *tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac Statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros*. Adeo iniqui ætate illa Romani rerum erant ejusmodi æstimatores.

Ærarii rem primum arbitror devicto fuisse Pyrrho cum Evocationis Religione conjunctam. *Nec enim*, ut ait Florus (2) *ullus pulchrior in Urbem, aut speciosior triumphus intravit. Ante hunc*

(1) Lib. I. Hist. Rom. (2) Lib. I. Cap. 18.

hunc diem nihil, nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses. Tum si captivos aspiceres? Molossi; Thessali, Macedones, Brutius, Apulus atque Lucanus. Si pompam? Aurum, Purpura, Signa, Tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Brevi igitur factum, ut cognoscerent Romani in evocatorum Simulacris Deûm materiam superare opus, quare maximo hujusmodi Signorum accenderentur desiderio; nam quum prioris belli Punici tempore, captis a Marcello Syracusis, ornamenta Urbis, Deorum Simulacra, tabulasque sacras ipse Romam detulisset: *Hostium quidem illa spolia*, ait Livius, (1) *& parta jure belli: Ceterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera, licentiæque hinc sacra, profanaque omnia vulgo spoliandi factum est.* Eam autem quam Siculæ Deorum opes invexere in devictarum Urbium spoliis licentiam, immensum auxere Lucullanæ, Syllanæque in Asiam expeditiones, in quibus Romanus miles non amare modo, ac potare insuevit, verum & Signa Deûm, tabulasque pictas, cælata Templorum vasa mirari, eaque privatim, ac publice rapere. (2) Heinc quantum Populi ærarium tot ex evocatis inde Græciæ, Asiæ, atque Africæ Diis, tot ex ornamentis fanorum, locupletatum fuerit, quantam auro, argentoque gravem catenam secum illa traxerit
care-

(1) Lib. V. Decad. 1.
(2) Giphan. Præf. ad Homer. Odyss.

cæremonia, imaginari nemo satis potest. Apertissime M. Tullius, *In Urbe nostra*, inquit, (1) *pulcherrima, atque ornatissima, quod Signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta, atque apportata sit?*

Cujus rei aptiorem ut habeamus imaginem, animadvertamus oportet, non Statuas Deorum modo, obeliscos sacros, atque pyramides, clypeos, & ægydas, & cuspides, laminasque, hastas, caduceos, & tridentes (nam & multis Populis quæ alia Deorum Simulacra, quam tentoria, & enses, & informes lapides, acinacesque, quam rami, silices, & ligna?) non galeas modo, & παρασήματα, scilicet aurata fulmina, gemmas, & cælaturas argenteas, aureos vannos, aulæa, & Augurum flammea, & solemnioris fercula pompæ; non pallas modo, fibulas, & arcus, Lyctios, & citharas, soccos, atque peplos; non donaria modo, & vasa, toreumata, emblemata, thuribula, candelabra, paterasque, & thensas, tripodas, & mensas, coronasque Numinum, armillas, dextralia, corollas, & eorum inaures; verum etiam pecuniam omnem cum sacram, tum etiam prophanam, cum publicam, tum etiam privatam, quæ in Templis adservari moris erat, & quæcumque in cisternis reperiebantur sacris, ubi Signa nonnulla vetustate collapsa, & alia quædam e consecratis donis reponebantur; quidquid demum ad evocatos pertine-

(1) Lib. in Verr. V.

tinebat Deos, Evocationis caussa, Victorum juris fuisse factum, & Romam cum Deorum Simulacris deportatum. Hoc dum apertissime evincunt nonnulla Christiani Patrum nominis testimonia, lucem etiam ex Evocationis ritu ipsamet accipiunt; ad illum namque relata, & optime intelligi posse videntur, & optima fuisse ratione conscripta; non relata vero ad ejusmodi morem, aliquem vix præseferunt sensum. Tertullianus quum de Religionibus ageret Romanorum, qui Orbem occupasse se dicebant, quod Diis omnibus officium præter ceteros fecissent: *Quomodo*, inquiebat, (1) *ob Religionem magni, quibus magnitudo de irreligiositate provenit? Ni fallor enim omne Regnum, vel Imperium bellis quæritur, & victoriis propagatur. Porro bella, & victoriæ captis, & eversis plurimum Urbibus constant. Id negotium sine Deorum injuria non est. Cædem, strages mænium, & Templorum, pares cædes Civium, & Sacerdotum. Nec dissimiles rapinæ sacrarum divitiarum, ac prophanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophæa. Tot de Diis, quot de Gentibus & triumphi. Tot manubiæ, quot manent adhuc Simulacra captivorum Deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, & illis Imperium sine fine decernunt, quorum magis injurias, quam adulationes remunerare debuerunt?* Rapinæ videbantur vero ejusmodi Templorum hostilium expoliationes Christiani dogmatis

(1) Apologetic. Cap. XXIV. XXV.

matis Patribus, impia spolia, & sacrilegia, quod Evocationis sacrum jure floccifacerent, & hac de caussa absque Religionis sensu victos dicerent Deos, raptos a militibus, a Ducibus triumphatos; unde hisce testimoniis cæremoniam illam, & effectus ejus historica tantum lege confirmant. Minucius Felix, *Quicquid*, inquiebat, (1) *Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est. Templa omnia de manubiis Urbium, de spoliis Deorum, de cædibus Sacerdotum. Hoc insultare, & illudere est, victis Religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis, sacrilegium est consecrare non Numina. Toties ergo Romanis impiatum est, quoties triumphatum: tot de Diis spolia, quot de Gentibus & trophæa. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis Deos adjutores habere, adversus quos arma rapuerunt, & quos post cladem triumphatos* (sive uti legit Rigaltius) *quos postulaverant detriumphatos colere cœperunt.* Hæc autem testimonia commentario nullo indigent, ut quantum ab Evocationis cæremonia lucis mutuent, quilibet cognoscat; quantum etiam ostendant, evocatorum opes Numinum suos Romam sequutas fuisse Deos, subque Romanorum cessisse potestate, quidquid divitiarum, & auri in oppugnatarum Templis Urbium reperiri datum erat. Si enim strages Templorum, rapinas-

(1) In Octav.

que sacrarum divitiarum, sacrilega trophæa, spolia Deorum cum Diis captis, victis, triumphatis, & a Victoribus adoratis copulant Christiani Patres; igitur ex Evocatione omnia evenisse apertissime evincunt.

Apud Victores reipsa omnes, Orientales maxime, mos antiquo tempore obtinuit, ut omnia auferrentur, quæ Sacris erant victæ Gentis cultibus destinata. Quinto enim anno Regni Roboam, Sesac Ægypti Rex captis Hierosolymis, (1) *tulit thesauros domus Domini: & thesauros regios, & universa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon*. Joas etiam, devicto Amasia, eandem cepit sanctam Civitatem, *tulitque omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, & in thesauris Regis, & obsides, & reversus est in Samariam*. (2) Jam Joachim Rex Juda protulerat Nabuchodonosori thesauros omnes domus Domini, & universa vasa aurea Templi, quum ingressis hostibus in Jerusalem, *columnas aureas, quæ erant in Templo Domini, confregerunt, & transtulerunt æs omne in Babylonem: ollas quoque aureas, & trullas, & tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa aurea, in quibus ministrabant, tulerunt; nec non & thuribula, & phialas, quæ aurea aurea, & quæ argentea argentea tulit Princeps militiæ; idest columnas duas, & bases, quas fece-*

(1) Lib. Reg. III. Cap. 14.
(2) Lib. Reg. IV. Cap. 14.

fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum. Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitellum aureum super se altitudinis trium cubitorum, & retiaculum, & melogranata super capitellum columnæ: similem & columna secunda habebat ornatum. (1) Superata vero ab Antiocho Urbe Judæorum Principe, *introivit* Victor *in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie Templi erat. Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos, quos invenit, & sublatis omnibus abiit in terram suam. Et dixit Mathathias: Væ mihi quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem Civitatis sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt. Templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt.* (2) Sic exstincto Jasone invadens Antiochus Nobilis Hierosolymam, *ausus est etiam intrare Templum universa terra sanctius Menelao ductore; & sceleratis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis Regibus, & Civitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indigne, & contaminabat: mille & octin-*

(1) Lib. Reg. IV. Cap. 25.
(2) Lib. Machab. I. Cap. 12.

octingentis ablatis de Templo talentis. (1) De pecuniis autem sacro in Hierosolymitano Templo repositis verba faciens sacer Historicus inquit: *Et nunciavit ei* (Simeon videlicet Præpositus Templi Apollonio Cœlesiriæ, atque Phœnicis Duci) *pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate Regis cadere universa. Tunc summus Sacerdos ostendit deposita esse hæc & victualia Viduarum, & Pupillorum: quædam vero esse Hircani Tobiæ, viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta. At ille* (Heliodorus Antiochi Administer) *pro his quæ habebat in mandatis a Rege, dicebat omni genere Regi esse ea deferenda.* (2)

Ut vero Hierosolymitana in æde, ita aliis etiam Ethnicorum in Templis maximas divitias, & cum sacras, tum etiam prophanas, cum publicas, tum etiam privatas adservatas fuisse pecunias Bulengerus latissime ostendit. (3) Eas autem Victoribus cessisse Romanis, qui, cetera uti vitia, ita Orientalium avaritiam indepti, & imitati sunt, ac superavere etiam, ex bellico illo, de quo diximus, jure, sub Evocationis maxime, sive exaugurationis, & desacrationis obtentu certum est; quod scilicet dicerentur Numina

(1) Lib. Machab. II. Cap. 5.
(2) Idem Cap. 3.
(3) Excerpt. *De Templ. Ethnicor.*

mina sedibus exturbata suis, & quæ sacra erant, prophana omnia effecta. Reapse in descriptione triumphorum, quos Victores gessere Romani, non γνώρισματα modo τῶν πολεῶν, devictarum videlicet insignia Gentium; sed Dii etiam ipsi, & vasa, & ornamenta Templorum, divitiæque omnes, & opes, & sacrarum copia rerum ceteris cum spoliis devecta enumeratur. M. Marcello Siculas post victorias ovante in Urbem ingresso, *cum Simulacro captarum Syracusarum catapultæ, balistæque, & alia omnia instrumenta læta, & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ ornamenta, argenti, ærisque fabrefacta vasa: & alia supellex, pretiosaque vestis, & multa nobilia Signa, quibus inter primas Græciæ Urbes Syracusæ ornatæ fuerant.* (1) Refert Plinius verba ex ipsis Pompeii triumphorum actis. *Ergo*, inquit, (2) *tertio triumpho; quem de Piratis, Asia, Ponto, Gentibusque, & Regibus die natalis sui egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium, e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor. Et ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente: in quo fuit Luna aurea pondo triginta millium: Lectos triclinares tres: Vasa ex auro, & gemmis, abacorum novem: Signa aurea tria Minervæ Matris, & Apollinis coronas ex margaritis triginta tres: Montem aureum quadratum cum*

(1) Livius Lib. III. Decad. 4.
(2) Lib. XXXVII. Cap. 2.

Cervis, & Leonibus, & pomis omnis generis circumdata vite aurea. In triumpho vero Vespasiani, & Titi Augustorum de Judæis: ἐφέρετο δὲ ϗ θεῶν ἀγάλματα, τῶν παρ' αὐτοῖς μεγέθεσι θαυμαστά, ϗ κατὰ τὴν τέχνην ὀ παρέργως πεποιημένα. ϗ τούτων οὐδὲν, ὅ, τί μὴ τῆς ὕλης τῆς πολυτελοῦς .... λάφυρα δὲ τὰ μὲν ἄλλα χύδην ἐφέρετο. διέπρεπε δὲ πάντων τὰ ἐγκαταληφθέντα τῷ ἐν Ἱεροσολυμοῖς ἱερῷ, χρυσῆ τε τράπεζα τὴν ὁλκὴν πολυτάλαντος, ϗ λυχνία χρυσοῦ μὲν ὁμοίως πεποιημένη. *Quin & Deorum Simulacra ferebantur, magnitudine apud ipsos mirabilia, & arte eximia laborata: horumque nihil, nisi quod ex pretiosa materia..... Spolia vero alia quidem passim ferebantur. Omnia autem superiminebant quæ in Templo erant Hierosolymitano deprehensa, mensa aurea, quæ pondere plura talenta æquabat, & candelabrum similiter aureum*. (1) Ex hisce autem ornamentis sacris Romam deportatis Populi ærarium exquisito fuisse modo locupletatum ex eo certum est, quod non erant illa Reipublicæ, & libertatis tempore, uti sub Imperatoribus, pro arbitrio aut ad ostentationem, aut ad voluptatem omnino distracta, sed Saturni in Æde sub Quæstoribus adservata. Hoc ex iis dignoscimus, quæ Cæsare cum copiis in Urbem ingresso acciderunt; dum enim ille ærarium, & patrimonium Populi ante raperet quam imperium,

tunc conditus, imo
Eruitur Templo multis intactus ab annis
Romani census Populi, quem Punica bella,
Quem

(1) Jos. Flav. Lib. VII. *Bell. Jud*. Cap. 5.

Quem dederant Perses, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo Te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores servastis Avorum,
Quod dites Asiæ Populi misere tributum,
Victorique dedit Minoja Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima Regum
Quæ Pompejanis prælata est Gaza triumphis,
Egeritur. (1)

Fateor equidem ex Manubiis, atque spoliis, exque multatitio auro, & argento Signa aliqua cum sacra, tum etiam prophana haud semel Victorum, ac Ducum Romanorum jussu fuisse conflata, eademque publicis locata in locis. Fecit Sp. Carvilius Jovem, qui erat in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis, cujus amplitudo tanta erat, ut conspiceretur e latiario Jove. (2) Cn. Pompejus honores Urbi tribuit in Delubro Minervæ, quod ex Manubiis dicaverat. (3) Idem de Lucillio Metello Dalmatico testatur Asconius, (4) deque Acilio Glabrione, & Cn. Lælio Livius, a quibus Cereri, Liberoque, & Liberæ Simulacra ait ex Manubiis sacrata. (5) *Tiberius Cæsar*, Suetonio si fi-

 des,

(1) Lucan. Lib. Pharsal. III.
(2) Plinius Lib. XXXIV. Cap. 7.
(3) Idem Lib. VII. Cap. 26.
(4) Apud Auct. Not. in Sat. D. V. F.
(5) Lib. III. Decad. 4.

des, (1) *dedicavit & Concordiæ Ædem : item Pollucis & Castoris, suo, fratrisque nomine de Manubiis. In fastigio Fori Trajani*, inquit A. Gellius, (2) *Simulacra sunt sita, circum undique inaurata Equorum, atque Signorum militarium, subscriptumque est, e Manubiis*. Similia demum tot de Curulibus Ædilibus exempla ubique pervia Romana sunt in Historia. Quare ad Persii illa: (3)

Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies; nam fratres inter ahenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba:

Magni τῆς χριτικῆς Antistites, ovatum aurum esse dixerunt aureum triumphatum, sive trophæorum. (4) Quum enim cultum erga Deos, qui argento, auro, ac gemmis colebantur, in majus extollere Poeta voluisset, heinc posuisse inferunt maximæ exemplum impensæ, quæ hoc in genere apud Romanos fieri solebat, quibus moris erat olim, ut manubiali ex pecunia Viri triumphales dona Diis pretiosissima consecrarent.

Verum ejusmodi ex magnificentia primum, ac Religione haud existimes velim aliquid fuisse utilitati Reipublicæ detractum. Licet enim prætercam & conflata ex Manubiis Simulacra in Ærario fuisse aliquando posita, adnotum adhuc satis est, confecta ex hostili præda Signa, inque

(1) Vit. Tiber.
(2) Lib. XII. Noct. Attic. Cap. 23. (3) Satyr. II.
(4) Britannic. & Casaubon. in Sat. Pers. II.

inque foro, ac publicis locata locis, si non Populi ærario, ejus tamen saluti, Urbis videlicet dignitati, ac magnificentiæ, ideoque securitati inservire debuisse; occulto nempe, ast opportuno Patrum consilio, qui, uti Tarquinius olim Priscus, ejectisque Regibus Horatius Pulvillus, per erectas ejusmodi Statuas, portasque, pontes, ac Templa ad magnificentiam exstructa, pecuniam publicam in splendorem prudentissime convertentes, ferocem plebem, oculorum concupiscentia perpetuo laborare solitam, eaque de specie, ac externo Urbis ornatu magis, quam de auctis Reipublicæ opibus gaudentem, in officio facile continebant.

Signa immo illa ac donaria, quæ sive in Templis, sive in publicis fixa erant, ac consecrata locis, haud ita ornamento Fanorum, & Urbis addicta erant, ut ærarium etiam in tempore locupletare non possent; iis etenim urgente aliqua aut belli, aut inopiæ publica necessitate Patres absque piaculo utebantur, pro supremi scilicet potestate dominii, pro veterum sententia Sapientum, qua Populus ipse, mutata voluntate, posse censebatur ex sacro facere prophanum. (1) Ea universæ Gentes fuerunt in opinione, ut ex Oratione patet Periclis Xantippi Filii Atheniensium Ducis, qua suos ad bellum adversus Lacedæmones ciebat; (2) exque

(1) Grotius Lib. III. *De Jur. Bell. & Pac.* Cap. 5.
(2) Thucydid. Lib. I.

que Chiis, & Chartaginiensibus, quorum alteri a Zenobio Mithridatis Legato obsessi, ornamenta detraxere Templorum, ut duum millium mulctam talentorum barbarico exsolverent exercitui; (1) alteri, extremam passuri oppugnationem, Templa, Fanaque universa publicas verterunt in officinas, ubi interdiu, noctuque incessanter ad propugnacula operarentur. (2) Verum ceteris magis eo usi sunt Romani jure, non Mithridatico tantum in bello, (3) aut Cannensem post cladem, (4) sed civilibus maxime in bellis, (5) exactoque libertatis, ac Reipublicæ tempore. *Vitellius in urbano officio dona, atque ornamenta Templorum*, teste Suetonio, (6) *surripuisse, & commutasse quædam ferebatur: proque argento, & auro stagnum, & auricbalcum suppofuisse*. Auctor est idem Suetonius, (7) præcessisse de Galba famam sævitiæ, *quod oblatam a Tarraconensibus e vetere Templo Jovis coronam librarum XV. conflasset, ac tres uncias, quæ ponderi deerant, jussisset exigi*. Ejusdem denique testimonio, (8) *Nero Templis compluribus dona detraxit: Simulacraque ex auro, vel argento fabricata conflavit; in his Penatum Deorum, quæ mox Galba restituit*. Itaque & Neronis

(1) Appian. *De Bell. Mithrid.*
(2) Idem *De Bell. Punic.*
(3) Idem *De Bell. Mithrid.*
(4) Livius Lib. V. Decad. 3.
(5) Cæs. *De Bell. Civil.* Lib. I. Cap. 1.
(6) In Vit. Vitell. (7) In Vit. Galb.
(8) In Vit. Neron.

nis ſub Imperio, poſt miſerabile Urbis incendium, *conferendis pecuniis pervaſtata Italia, provinciæ everſæ, ſociique populi, & quæ Civitatum liberæ vocantur: inque eam prædam etiam Dii ceſſere, ſpoliatis in Urbe Templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis Populi Romani ætas proſpere, aut in metu ſacraverat. Enim vero per Aſiam, atque Achajam non dona tantum, ſed Simulacra Numinum abripiebantur, miſſis in eas provincias Acrato, & Secundo Carinate.* (1) Potiori autem de cauſſa, quæ in Foro, quæ in publicis Romæ locis conſecrata erant ex Manubiis trophæa, & Signa detrahi poſſe videbantur, quod *repertum eſſet, cunctas cæremonias, templaque, & Numinum effigies Italicis in Oppidis juris, atque Imperii Romani eſſe.* (2) Qua equidem in re Romanis Principibus familiari, exacto Idololatriæ tempore [ſi eam excipias, quæ aliquando & in Sacra nimium deſævit, Byzantinorum iram, & avaritiam] (3) Religio, ac prudentia temperavere modum; præſentem videlicet moderationem fovere, & celebrare pergentibus iis, qui belli jura hodieque ad talia extendunt. (4) Itaque & non ſtatim ad ærarium delata Evocatorum Numinum donaria, & Signa ærario tandem deſerviebant.

Triumphatum immo aurum nedum illud erat, quod

(1) Tacit. Lib. Annal. XV. Cap. 6.
(2) Tacit. Lib. Annal. III. Cap. 12.
(3) Paul. Diacon. Lib. XVII. XVIII.
(4) Buddeus *De Jur. Bell. relate ad Sacra.*

quod post ductum triumphum Diis offerebatur; aliquod ut exstaret cælestis beneficii æternum argumentum, quo gratum in Superos animum testarentur Victores; verum & illud etiam ita erat appellatum, quod privatis ab hominibus emptum, quo suis singillatim in votis Deorum imagines illinerentur; eaque ratione locupletius fieret ærarium. Non enim omnem prædam ex hoste captam Cælipotentibus Diis offerrebant Quirites, ast illam modo partem, quam aut Imperator, aut Populus exemisset, reliquam Quæstorum ope in ærarium referentes. Itaque illi, qui pro aliquo accepto beneficio grates Cælitibus agere, donariumve aliquod aureum, aut argenteum offerre in animo habebant, ut quammaxime fieri posset, gratos se, piosque Numinibus præstarent, non ex auro quolibet, argentove donaria sua, oblatasque adornabant Statuas; sed ex auro, aut argento illo, quod a Quæstoribus emissent. Licet autem verisimile haud videatur, aurum, argentumque solidum a Quæstoribus venditum fuisse, verisimile tamen est, aurata, atque argentata potuisse vendi; exque ramentis illorum, si solida non Signa, ast Prænestinas saltem laminas, aut Quæstorias, bracteasve conflari potuisse; unde arbitrantur aliqui factum, ut Persius non positas, sed *perductas* dixerit ovato ex auro, sive triumphato Statuas. (1) Hacce autem ex doctrina lucem adlatam

(1) Auct. Not. in Sat. D. V. F.

latam opinor Arnobii testimonio, qui, *Solere*, ajebat, (2) *Romanos Religiones Urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare*. Quum enim ex captivorum, ex Evocatorum Numinum donariis, atque Signis peracta cæremonia Romam deportatis, alia in Fanis suspendere, alia in Foro, ac Porticibus statuere solerent, alia liquefieri curarent Quirites, aurumque, & argentum captis ex Signis derivatum, hominibus illis, qui privatos illinere Lares, aut icunculas in Larario colendas sibi conflari satagebant, votaque privata ad divitias, & hæreditates, ad optima comparanda sibi somnia concipiebant, quo Populi ærarium exquisitius ditaretur, venderent; heinc devictarum, & expugnatarum Urbium Dii partim publice consecrati, privatas partim per familias sparsi dici potuere.

Posterioribus Reipublicæ temporibus signa sacra & publica privatis vendita, aut ab eisdem usurpata fuisse ostendit Tullii locus, ubi Civium suorum temperare luxum satagebat. *Quis enim ferret istos*, inquiebat, *cum videret eorum villas signis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris & religiosis?* (1) En igitur quam ingenti, quam multiplici modo Romanorum Ærarium fuerit Evocationis ope locupletatum. Exauguratis enim, desacratisque Deorum, uti

(1) Lib. III. adv. Gent.
(2) Lib. de Legib. III.

uti opinabantur, ejuſcemodi cæremonia Templis, Signis, atque donariis, ceteriſque aut ad rationem ſacrificiorum, aut ad Miniſtrorum ornatum, aut cuſtodiæ cauſſa in iisdem adſervatis, rebuſque omnibus in ſpoliorum, in manubiarum cenſu locatis, Romamque delatis, in ærarium denique, variis quidem, ſed eodem perpetuo tendentibus ſemitis confluebant univerſa: quod honeſta fieri ſpecie minime potuiſſet, niſi ex Evocationis doctrina ſibi vulgus facile perſuaſiſſet, placatas illis carminibus hoſtilium fuiſſe Deorum iras, Deoſque in vota vocatos libentiſſime ſiviſſe, uti Urbem, & mœnia, ita Sacra etiam Hoſtium quæcunque, Senatus Populique Romani amplitudini, atque potentiæ concedere inviolato jure debuiſſe.



CA-



CAPUT VI.

Tutelarium Evocationem Numinum arcanum etiam fuisse Imperii in Republica Romanorum.



Exhibitis adhuc extimis, ac veluti remotis hujusce cæremoniæ caussis, ad intimam accedimus, aut verius ostendimus; cur eam Patres etiam, penes quos πολίτευμα erat, necessariam duxerint. Arcanum enim Imperii Veterum, quoddam olim veluti superstitionum adytum erat, cæremoniæ, & ritus, & Numinum Statuæ antiquissimæ, Talismata, & τέρατα, & φάσματα multa ultra modum humanum, quibus & conservari, & conservatis constare Imperia fatui arbitrabantur Ethnici. Pleraque enim eorum Regna, hujusmodi figmenta callidorum hominum intimis in penetralibus Fanorum colebant, quibus appensam salutem publicam persuaserant Vulgo; ne quis inquireret fundamenta Religionum, aut inqui-

inquisita, præjudicata sanctitate deterritus, prodere auderet. (1) Nota sunt Romanorum

lapsa Ancilia cælo;

Quod Virgilii testimonium interpretatur Farnabius, *Clypeos incurvos, quorum unus e cælo dilapsus cum fato Imperii, ad cujus formam & undecim alii efficti, ne internosceretur verus*. (2) Itaque imaginari nemo satis potest, quanta cura iidem portenta illa adservarent. Iliacum Palladium ab ardente Minervæ Templo Ilus, Romanum ab Æde, quæ flagrabat, Vestæ eripuit Metellus; etiamsi utrique Simulacri salus eo periculo, ut luminibus orbarentur, stare debuisset. (3) Heinc Julius Firmicus Maternus, *Incensa est*, inquiebat, *Troja a Græcis, a Gallis Roma, & ex utroque incendio Palladium reservatum est. Sed reservatum non propriis virtutibus, sed humano præsidio: ab utroque enim loco homines liberant, & translatum est, ne humano flagraret incendio*. (4) Primum tunc vero vel a Romanis ipsis visum Urbis Palladium suæ tradit Herodianus, scribens: *Sed ubi templum omne consumptum ignibus est, plurima quoque & pulcherrima Urbis ædificia conflagrarunt. Inter quæ etiam Vestæ templum, sic ut Palladium quoque conspiceretur, quod in primis colunt atque in arcano habent Romani, Troja (ut perhibent) advectum*,

(1) Besold. *De Arcan. Rerum publ.* Cap. I. num. 2.
(2) Not. in Lib. Æneid. VIII.
(3) Plutarch. Parallel.
(4) De Error. Prof. Relig.

ctum, ac tum primum, postquam in Italiam devenit, conspectum ab hominibus nostræ ætatis. Καταφλέξαν δὲ τὸ πῦρ τὸν τε νεὼν καὶ πάντα τὸν περίβολον, ἐπενεμήθη καὶ τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως καὶ κάλλιστα ἔργα. ὅτε καὶ τῆς Εστίας τοῦ νεῶ καταφλεχθέντος ὑπὸ τοῦ πυρὸς, γυμνωθὲν ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα (ὃ σεβουσί τε καὶ κρύπτουσι Ῥωμαῖοι) κομισθὲν ἀπὸ Τροίας (ὡς λόγος) ὅτε πρῶτον καὶ μετὰ τὴν ἀπ' Ἰλίου εἰς Ἰταλίαν ἄφιξιν, εἶδον οἱ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωποι. (1) Illa vero adyta, & secreta Hostibus nota fieri piaculum; unde hominis Romani illa: (2)

Procul arceat altus
Juppiter, ut Delubra Numæ, sedemque Quirini
Barbaries oculis saltem temerare prophanis
Possit, & arcanum tanti deprendere Regni.

Quæ ad verba, ita Vir Cl. *Spargebantur veteri more arcana quædam Deorum deposita penetralibus magnarum Urbium servari, quibus salus Imperii salvis constaret. Tale Palladium Trojæ erat; Vestæ ignis Romæ*. (3) Itaque instante præsertim bello se, Urbesque suas fatalium hujusmodi, ac arcanorum virtute Deûm tutari maxime credebant: iisdemque aut excedentibus, aut ab hoste raptis desperatam esse salutem. Qui Patriæ proditores erant, Palladium hostiles ut in manus deveniret, satagebant, uti obsidente Megaram Minoe fatalem Nisi crinem, veluti ἐγχώριον Θεὸν, & vim quandam προφυλακτικὴν, in

(1) Lib. V. Cap. 14.
(2) Claudian. *De Bell. Getie.*
(3) In Not. Varior. ad Claud.

qua & fatum, & salus contineretur Urbis, impotenti amore acta detulit illi Scylla dicens:

Tibi trado Patriamque, meosque Penates
Purpureum crinem. (1)

Toti erant Duces, toti Milites in eripiendis obsessa ab Urbe hujuscemodi fatalibus Signis, quibus semel ereptis, actum de hostibus, actum oppugnatis de mœnibus autumabant: eaque ratione Sinonem inducit apud Trojanos Maro, Græcorum timores violato e Numinis Signo simulantem: (2)

Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit: impius ex quo
Tydides, sed enim scelerumque inventor Ulysses
Fatale aggressi sacrato avellere Templo
Palladium, cæsis summæ Custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi Divæ contingere vittas:
Ex illo fluere, & retro sublapsa referri
Spes Danaum: fractæ vires, aversa Deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris Simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis; salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit Æquora Calchas,
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omnia ni repetant Argis, Numenque reducant,
Quod pelago & curvis secum advexere carinis.

Melius

(1) Ovid.Lib.Metamorph. VII. (2) Virgil.Lib.Æneid.II.

Melius hoc tamen Ulyssis ex oratione adversus Ajacem apud Ovidium intelligitur, quum scilicet Achillis de armis decertaret, suaque inter facinora maximum esse diceret, quod Palladium Trojanum, quo se, Urbemque tutari suam Dardani credebant, cui oppugnationis fortuna nixa esse videbatur, rapuisset Hostibus, eaque ratione Ilium superari posse effecisset. (1)

Te tamen aggrediar, mecumque reducere nitar,
Tamque tuis potiar (faveat Fortuna) sagittis,
Quam sum Dardanio, quem cepi, Vate potitus;
Quam responsa Deum, Trojanaque fata retexi;
Quam rapui Phrygiæ Signum penetrale Minervæ
Hostibus e mediis - - - - - - - -
- - - - - - - *Cur audet Ulysses*
Ire per excubias, & se committere nocti?
Perque feros enses, non tantum mœnia Trojæ,
Verum etiam summas arces intrare, suaque
Eripere æde Deam, raptamque afferre per hostes?

Adeo victoriam, rerumque vices, ac fatum Urbis cum suis Veteres copulabant Deûm Signis! Annibal iterum castra adversus Urbem, ut eam obsidione premeret, movere agitabat;

isset & illuc,
Propter Palladium, ni sacram Agrippa negasset
Posse capi Romam. (2)

Nec absimilem omnino habuere rerum imaginem Hebræi, uti non modo Θεοκρατείας pignus

 illud

(1) Ovid. Lib. Metamorph. XIII.
(2) Busch. Argum. in Lib. XIII, Sil. Ital.

illud alterum, Arca videlicet, perpetua militarium itinerum, atque præliorum comes, verum etiam adcuratius expensum Jeroboamicum ostendit consilium de Pseudocherubis, aut potius Vitulis ad avertendum Israel a Juda conflandis; qua de re fuse satis in auro, cedroque dignis aureo de Vitulo Libris Moncæjus, his verbis: *Cognatarum itaque Gentium, Ammonitarum Moabitarumque exemplo, qui cum Lotho communi parente oriundi, in unius ejusdemque Dei patrii, veri Dei cultu & sacris initio educati, quum diu perseverassent (Deo apud eos Moloch & Melchom appellato, Regem ab etymo, ut Messias apud Hebræos, notante, quo tamen ad Idolum significandum tandem abusi sint, quomodo Gentes aliæ nomine Jovis, idem cum Jehova; ut videtur, etymum, forte & usum initio habente) postquam in duo Regna dividi contigit, partiti veluti & ipsi inter se Deos sunt, ut Molocho Deo patrio, communi antea, Ammoni natu minori soli relicto, Moabus deinceps Chamos (tam obscura Dei hujus origine quam ignobili etymo) in Deum haberet; utque postea Ismael, & deinceps Edom, postquam habitatione & regnis a fratribus suis Isaaco & Jacobo natu minoribus divisi similiter separatique sunt, Deo patrio illis quoque relicto, proprios peculiaresque Deos (quos aliter quam Deos Seir in Scriptura vocatos non memini) sibi regnisque suis asciverunt: sic Israele & Juda communiter similiter generis authore Abrahamo, & deinceps Isaaco & Jacobo oriundis, & quandiu* gen-

gentis unius nomine ac finibus comprehendi, Regisque unius imperio ac manu regi contigit, unum eundemque Deum patrium, Creatorem cœli & terræ, omnipotentem, altissimum, sub Jehovæ nomine colentibus, postquam divisi in duo regna & ipsi sunt, visum Jeroboamo novo Regi, ne Deus parti utrique peculiaris etiam suus deesset, providere, & cum peregrinos illos Gentium aversaretur, minimeque sibi ascìscendos duceret, de patrio illo duos efficere. Quam eandem propemodum Schismatis sui (in Schismate Samariæ, de quo loquimur, ceu typo præfigurati) rationem, adhibito in consilium Sergio, secutus etiam infelix Mahometes videtur. Cum enim Arabibus & nobis, in eodem Ecclesiæ matris veluti utero natis, ejusdemque Regno Sacerdotali longo tempore comprehensis, eadem Religio & fides esset, utrisque idem fidei Symbolum professis, & in unum eundemque substantia & natura, trinum Personis Deum credentibus, posse non putavit callidus Veterator, quam meditabatur tyrannidem stabilire, nisi Jeroboami exemplo, cum Regno simul Ecclesiam scinderet, eandemque scindendæ ejus rationem secutus, patrium communemque antea Deum similiter partiretur ac divideret. Atque ita projecto & ipse post tergum suum Jehova sive Personis divinis, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, unico Jehovæ vocabulo, quod æque singulis competit, comprehensis, iisdemque Regno Judæ, idest parti Christianæ, quam deserebat, in Deum relictis (quamquam Deos impie vocat, ut nos de culta Deorum multitudine sugillet) ipse

Deum tribubus , parti suæ , Deum universi eundem Jeroboamianum , Deum omnipotentem , Deum altissimum , aut potius nudam divinitatisque omnis inanem & vacuam , quia sine Jehova , sine personis , nullus est Deus , Dei appellationem , & omnino vocem sine re in Deum ascivit . (1) Adeo ex proprii peculiaris & tutelaris Dei præsidio Rempublicam feliciter geri posse , animosque Vulgus regi , sibi semper persuaserunt homines callidi ; quare artem arte superaturi Quirites , peculiares illos Deos hostibus auferre se Evocatione posse simulantes , militarem turbam in spem victoriæ facile erigerent . Immo pæne crederem Persas , dum imperante Phoca *adversus Rempublicam gravissima bella gerentes multas Romanorum Provincias , & ipsam Hierosolymam auferunt : & destruentes Ecclesias , sancta quoque profanantes , inter ornamenta locorum Sanctorum vel communium , etiam vexillum Dominicæ Crucis abducunt ,* (2) ea de caussa , eo id egisse ex fine , ut προφυλακτικόν quiddam , & Palladium veluti a Christianis auferretur hostibus . Ut ut aliis tamen fuerit de Populis , hujusmodi eos tamen habuisse adyta timescebant Quirites , qui ut Palladium , ut Ancilia , Romulique Lituum primis habuere temporibus secreta quædam Romani Imperii decora , & pignora , posterioribus Fortunam auream , ita Gentes alias alia secreta habere potuisse , ac Nu-

(1) Lib. I. Cap. 10.
(2) Paul. Diacon. Lib. XVII.

Numina, quibus uti fatis quibusdam manentibus, salus hostium salva esset, facile credebant. Heinc Mithridatico in bello Pompeji de victoriis loquens Florus, *Hierosolymam*, inquit, (1) *defendere tentavere Judaei: verum hanc quoque intravit, & vidit illud grande impiae Gentis arcanum patens, sub aureo vitem caelo*. Sive, ut alii legunt, *sub aureo uti caelo*. (2) Liberi Patris domitoris olim Orientis veluti apud Judaeos culti argumentum.

Jam vero arcanum fuisse Imperii in Republica Romanorum, occultam quidem scilicet, sed praevalidam illius conservandi, uti arbitrabantur, propagandique artem, Deorum Praesidum dicimus Evocationem. Quum enim ea in opinione versaretur Populus, ut hostilium salutem Urbium, illarum adytis, uti suis suam, illarum adactam Simulacris crederet, quumque veteres Ethnici existimarent, singulares aliquos fuisse cultus, qui alio loco fieri non possent; quare Athenienses, adventante Xerse, quum partim Salaminem, partim Troezenem, quae moveri poterant, asportassent, *arcem Sacerdotibus, paucisque majoribus natu ad sacra procuranda tradunt, reliquum Oppidum relinquunt*; (3) heinc ars aliqua ab iis qui Rempublicam moderabantur, aut invenienda, aut fovenda erat, cujus ope illa Si-

 mu-

(1) Lib. III. Cap. 5.
(2) Salmas. Selden. Vid.
Lat. Diss. in Nov. Lit. Bal. 1685.
(3) Corn. Nep. in Vit. Themistocl.

mulachra, illa deficere viderentur adyta; nihilque inde existimaretur esse, quo salus Hostium arcano posset modo conservari. Reapse, quid non a Plebe, quæ adfectibus, & voluntate magis, quam intellectu agi ubique, & perpetuo solet, obtinuere Patres ejusmodi opinionibus caute, callide, & in tempore usi? Camillus Populum hortaturus, Vejos petere ne vellet, avitas ne desereret sedes, veterem ne fugeret Patriam, *Hic*, inquiebat, (1) *Capitolium est, ubi quondam capite humano invento responsum est, eo loco caput rerum summamque Imperii fore. Hic cum augurato liberaretur Capitolium Juventas Terminusque maximo gaudio Patrum nostrorum moveri se non passi*. P. etiam Valerius, ab Ap. Herdonio cum Servorum, & Exulum manu occupato Capitolio, oratione ad multitudinem versa, *Si vobis Quirites*, inquit, (2) *si vestri nulla cura tangit, at vos veremini Deos vestros ab hostibus captos. Jupiter Optimus Maximus, Juno Regina, & Minerva, alii Dii, Deæque obsidentur; castra Servorum publicos vestros Penates tenent. Hæc vobis forma sanæ Civitatis videtur?* Meam heinc subit mentem Mnesthei ad Trojanos a Turno obsessos, intentantesque fugam Oratio: (3)

Non infelicis Patriæ, veterumque Deorum,
Et magni Æneæ, segnes, miseretque, pudetque?

Ete-

(1) Livius Lib. V. Decad. 1.
(2) Idem Lib. III. Decad. 1.
(3) Virgil. Lib. Æneid. IX.

Etenim ἐν αἰνιγμοῖς, ac veluti per ambages, atque rerum Simulachra tractanda Plebs erat, quæ ubi Religionis glaucomate, & imagine, tegebantur, ubi Deorum, uti ajebant, immortalium Religione armata erant, atque munita, majorem præseferebant speciem, quam reipsa haberent: eo maxime necessaria tempore, quo nondum apud Romanos ea erat conditio imperandi, ut non alio ratio constaret, quam si uni redderetur. Quare interveniendus erat in Oppugnationibus Urbium aliquis in machina Deus, sive Dii ipsi dicendi erant obsessis aversi optasse excedere foras, & neglecta relinquere mœnia, unde & eorum numine non fortiter, ac jure agere se modo posse arbitraretur militaris turba, verum & cum Spiritu Deorum, omne arcanum, omne præsidium evasisse crederet, quo nihil, nisi prophanum, Diisque invisum, in Urbe reliquum esse, quo universa juris eorum, hostilia qui mœnia oppugnabant, facta dicerentur; quare & nullus in milite sacrilegii horror, nullus esset cœlestium irarum metus, heincque minori ditatum invidia æternæ Urbis ærarium, Romanoque in exercitu opinio, & plurimum se secundum Deos posse, & Deos ipsos pro fortuna Romanorum, & gloria depugnare. Hæc autem simulachra quis plurimum valuisse neget? Illa reapse freti opinione ita adacti erant Romani milites, hostilia ut Templa inculpate delere, & Deorum ornamenta innocue diripere posse

se,

se crederent, ac, veluti de Gygantibus fabula canitur, alacres sacra etiam in spolia ruerent:

Jam credunt vicisse Deos, mediisque revinctum
Neptunum traxisse fretis; hic sternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros devellere crines;
Hic sibi promittit Venerem, speratque Dianæ
Conjugium, castamque cupit violare Minervam. (1)

Reapse nemini Principum videtur magis quam Romanis Patribus fuisse persuasum, Religione, veluti thyrso, percuti mentes humanas, dementari facile vulgus, fascinari superstitiosos Plebis animos, omnia obtineri. Itaque ea plebeiis in Quæstionibus perpetuo usi, ejus ope toties adversus Plebem victores facti, tametsi rei arcanum occultarent: iccirco ea ratione, qua, quum de arcenda ageretur a Magistratu Plebe, *simulabant ad Deos magis, quam ad se pertinere, ne Consul ex plebe fieret; ipsos visuros, ne sacra sua polluantur; id se tantum optare, ne aliqua in Republica clades obveniret;* (2) ita Urbium in obsidionibus evocandos simulabant Tutelares Hostium Deos, quod nefas esse videretur, Urbe hostiliter direpta, eos, veluti mancipia, captivos habere, quod aliter Urbem capi non posse scita Pontificum statuissent; quod Religione locorum liberare Exercitum necessitas postularet; tunc enim solum in Republica vere simulas, quum ita simulas, ut simulare non videaris.

Fuit

(1) Claudian. Gygantomach.
(2) Livins Lib. X. Decad. 1.

Fuit hæc ſententia eorum omnium, qui penitius novere Romanos. *Præſeferebant Patres*, inquit Boxhornius, (1) *quaſi ſecreta quædam Sacra, veluti ſecretos quoſdam de voluntate Deorum Libros haberent, cum nulli tales exſtarent. Ideo autem hoc factum, ut, ferente ita rerum neceſſitate, Populo ex iis perſuaderent, placere Diis, ut hoc, vel illud ageretur, aut intermitteretur. Conſulti Libri, qui non erant, ut Populo conſuleretur. Voluntas Patrum Populo exhibita, tamquam illa Deorum foret. Et ſequutus Populus eſt arbitrium Patrum, cum Deorum ſe ſequi exiſtimaret. Ut prætextus Divinitatis obſequium extorſerit, quod alias non potuiſſet obtineri. Hæc erant Romanæ Reipublicæ arcana, quæ artes potius, & umbras rerum, & ſimulachra Tacitus nominavit, in quibus aliud eſt, aliud videtur; immo hoc ipſum videtur, quod plerique credunt; & fingitur quod non eſt, ut ſit, quod eſſe debeat. Quippe ita cum Populo eſt comparatum, ut ſpecioſis nominibus ineſcatus falſo credat, quod non crederet, ſi verum audiret*. Quid autem aptum magis, hoſtiles ad Urbes cito, ac fœliciter obſidione capiendas, (nec enim fingi ea in re quotidie fatales Libri, qui reſponderent nomine Deorum, poterant; bellique occaſiones nullam patiuntur moram) quam ſi militi perſuaſum foret, peracta legitimis precibus Evocatione, Præſides inde exceſſiſſe Deos, adverſus Urbem iratos, infenſoſque, Victoribus modo

(1) Quæſt. Roman. XLIII.

modo adesse volentes, eosdem pone sequuturos, quo melior fortuna, quo fata secundiora traherent, quo ampliora sacrificia, perpetuæque Sedes vocarent?

Suis etenim Ducibus utilis haud semel fuit Ethnicorum militum superstitio. Quantum nempe Alexandro profuit stativa ad Granicum habenti? (1) Quantum agenti in Pannonia Druso? (2) Superstitio, inquam, Romanis acta tamen, temperata, & circumducta artibus; nam absque illis belli negotio obfuisse potius legimus non semel; uti in Exercitu Persei Macedonum Ducis; (3) in Militibus Atheniensium Ducis Niciæ; (4) & in Copiis Ariovisti. (5) Brevissimo interfectis tempore duobus, P. scilicet, & Cn. in Hispania Scipionibus, rebusque Romanorum secunde minus adversus Pœnos procedentibus ancipites erant, quemnam illis Successorem darent Patres; quum ecce, re ad Religionem versa, Romani nominis potentiam, & gloriam, brevi, ac fœliciter restituerunt. Legionum siquidem in Hispania agentium Imperatorem dixerunt P. Cornelium Scipionem, demortui filium. *Erat enim ille non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quadam ab Juventa in ostentationem earum compositus; pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut veluti divi-*

(1) Curtius Lib. IV. (2) Tacitus Lib. Annal. I.
(3) Livius Lib. IV. Decad. 5.
(4) Polyb. Lib. IX.
(5) Cæsar Lib. I. Bell. Gallic.

divinitus mente monita agens. (1) Quare eum in simulandis somniis, ac Religionibus Lycurgo comparat Polybius. (2) Itaque nemo eo rebus aptior habitus est restituendis; umbras enim illas, ac Religionum simulachra plurimum & ipse apud Milites posse ratus, conceptam de se opinionem in Oratione, quam ad eos vix lustrato exercitu habuit callide confirmavit, *Nunc*, inquit, (3) *Dii immortales Imperii Romani Præsides, qui centuriis omnibus ut mihi Imperium juberent dari, fuere Auctores, iidem auguriis, auspiciisque, & per nocturnos etiam visus, omnia læta, & prospera portendunt; animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates præsagit, nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc omne Punicum nomen, maria, terrasque fœda fuga impleturum*. Milites igitur ad Carthaginem novam oppugnandam duxit; sed quum neque Viri, nec tela, nec quicquam aliud æque quam mœnia ipsa se se defenderent, iccirco nec superari possent, quare receptui Signum dare coactus esset, ut ei nunciatum fuit stagnum decedere, facilemque pedibus ad murum transitum dari, quod acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quo æstus ferret, & adeo nudasset vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret; *hoc cura ac ratione compertum*, subdit Historicus, (4) *in prodigium, ac Deos ver-*

(1) Livius Lib. VI. Decad. I. (2) Lib. X.
(3) Livius Lib. VI. Decad. I.
(4) Idem ibid.

vertens Scipio ; qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagna auferrent, viasque ante nunquam initas aperirent : Neptunum jubebat Ducem itineris sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia. En simile prorsus Evocationi simulachrum : Deos videlicet sequi obsidionum Duces, obsessam adversus Urbem iratos, Victoriarum comites.

Ideo autem hæc Imperii arcana dicimus, quod Romanos Patres infirmioris instar, ac facilis Vulgus sacris illis adstrictos credidisse se, existimandum haud sit. Quæ enim alia Conscriptis fuit Patribus scientia, quam juris illa dominationis, qua corrigere, ac relaxare commune possent ; & ab eo, uti autumabant, inculpate recedere, noscereque, quanta bellua imperium esset, quibusque soluta diceretur legibus suprema Imperantium majestas : ac persuadere sibi, disjungi aliquando, invito etiam quovis viro bono, honestatem Reipublicæ ejusque salutem ? Quæ Religio, pietasque Principibus Viris castra sequutis? Apud Tullium Cotta cæremoniam illam, qua se Diis Manibus Romani Consules pro Patria devovebant, *consilium artem*, & græca voce στρατήγημα appellat; *rebantur enim*, inquit, (1) *fore ut Exercitus Imperatorem equo incitato se in hostes immittentem persequeretur : id quod evenit.* Scipio junior non solum diruit Carthaginem, omni murali lapide in pulverem comminuto, verum etiam ut hominibus adempto ejus usu num-

(1) Lib. III. *De Nat. Deor.*

numquam postea ædificaretur, simulata Religione consecravit. Testis Tullius his verbis. *Tum vero ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam tectis ac mœnibus, sive ad notandam Carthaginiensium calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam Religionem, ad æternam memoriam consecravit*. Et rursus aperta magis sententia: *Adscribit idem Rullus auctioni Corinthios agros, opimos & fertiles, & Cyrenenses, qui Appionis fuerunt: & agros in Hispania propter Carthaginem novam, & in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit: quam videlicet P. Africanus, non propter religionem sedium illarum ac vetustatis, sed consilii sententia, consecravit; sed ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de Imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet*. (1) Quamquam vero C. Gracchus ea re ita non sit deterritus, ut in eam Colonos non deduxerit, primaque Carthago extra Italiam Colonia deducta fuerit; Julius etiam Cæsar Colonos Corinthi & Carthagini collocaverit; (2) Populo, sive Plebi tamen persuasum volebant Patres, magnam fuisse vim consecrationum, & desecrationum, quibus videlicet, pro imperii arcano, utebantur aliquando; tamenetsi, pro eodem arcano imperii, eisdem aliquando adversari, earumque patefacere vanitatem cogerentur. Frequentissimæ immo Roma-

na

(1) Orat. de Leg. Agrar. contr. Rull.
(2) Turneb. Not. in allegat. Orat.

na sunt in historia, & ab Auctoribus conlectæ, (1) militares illæ adhortationes, ac imperatoriæ voces, quibus arduis in rebus simulationem demum omnem irati Duces ponere coacti superstitiosos nimium turbæ militaris animos ad receptarum contemtum Religionum traducere satagebant, quarum ad exemplar prophano, & irreligioso ad milites animo loquuti simulantur Pallantes, Mezentius, & Turnus Maronis, Euripidis Polynices, Sopochlis Ajax, Statii Capaneus, Silii Annibal, quibus omnibus dextra pro Numine, & telum. (1) Idem ille Scipio, qui totus in Religione, totus in miraculis erat, ac Deorum colloquio, exorta in Exercitus parte apud Sucronem seditione, orationem seditiosos habens ad milites, *Lapides*, inquit, (3) *pluere, & fulmina jaci de cœlo, & insuetos fœtus animalia edere portenta esse putatis? Hoc est portentum* (eorum videlicet seditio) *quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit.* Heinc Evocationis effectus, & consequutiones in ceteris vituperavere Quirites, easdem apud se honestas esse simulantes. Πολύτροπος ille Cæsar, ut sibi laudem, odium, Pompejo conflaret, Æmulum arguebat, quod sacram pecuniam haud semel abstulisset e Fanis, divina iccirco, huma-
naque

(1) Guther. *De veter. Jur. Pontif.*
Schel. Not. in Hygin.
(2) Farnab. in Lib. Æneid. X.
(3) Livius Lib. VIII. Decad. 3.

naque omnia miscuisset; (1) non semel pecuniæ Ephesio depositæ in Templo auxilium adversus Pompejanos tulisse se gloriatus; (2) quum tamen ipse Capitolium, Antium, Lanuvium, Nemorem, Tiburemque, in quibus copiosissimi adservabantur sacrarum pecuniarum thesauri, spoliasset; (3) Templorum ab ornamentis, ac donariis, nec ante, nec post Victorias abstinuisset, & urgente alicujus oppugnatione Urbis, Deos excessisse Præsides utique non expectasset; oppugnata siquidem Massilia, ejus quum milites Lucum quendam antiquæ Religionis horrore sacratissimum bellica ad tormenta, ceteraque instrumenta obsidionis cedere juberentur, & rem adgressuri pavide substitissent, veriti ne suæ in se secures resilirent;

Implicitas magno Cæsar torpore cohortes
Ut vidit: primus raptam vibrare bipennem
Ausus, & aeriam ferro proscindere Quercum. (4)

Ceterum hoc ego bellicum Evocationis arcanum facile inter errores ponerem Romanorum. Nam etiamsi illus ope alacriores animos turbæ militari darent, Signa tamen, & ornamenta Deûm, illa tametsi Religionis specie tamen rapientes, (erat hoc enim præcipuum ejusmodi fovendæ cæremoniæ motivum) ceteras heinc apud Gentes effugere non poterant δυσφημίαν illam, H illas-

(1) Cæs. *De Bell. Civil.* Lib. I. Cap. 5.
(2) Idem *De Bell. Civil.* Lib. III. Cap. 12. 32.
(3) Appian. *De Bell. Civil.* Lib. V.
(4) Lucan. Lib. Pharsal. III.

illasque, in quas ex ablatis sacrilega manu rebus sacris apud homines omnes, apud etiam Romanorum Historicos, impingebant notas exteri Reges, qui militari aliquando licentia non Liberos Parentibus, non Maritis Conjuges, non Deorum & ornamenta, & Signa suis relinquebant Sedibus. Prudentius igitur fuisset Romanis consilium hunc Evocationis obtentum prætermittere, suisque Deos in Sedibus relinquere, ut victas apud Gentes fama potuissent meliore frui; fama enim non modo bella constant, sed nihil ad Imperia conservanda, & augenda, nihil ad exteros alliciendos magis potest, quam boni nominis studium, & existimationis. Polybius illud certe togatæ Gentis omnia ad se, quæ aliorum erant, ornamenta sacra, & Signa coacervandi studium multis nominibus malum fuisse dixit. (1) Haud enim ad Quirites amandos, adque dominium eorum facile amplectendum induci potuissent, qui trophæa ejusmodi, Evocationis jure rapta, spectare debuissent; sed seipsos calamitatum suarum admonuissent potius, suorum Signa Deûm Romanis in Sedibus conspicientes: quare non invidia modo, & opinio mala, sed ira quædam adversus Victores, adversus Rempublicam accenderetur; recordatio siquidem propriarum calamitatum quasi irritatio quædam est ad renovandum dolorem, ad odio habendos illarum Auctores. Itaque quod devictarum Urbium

(1) Lib. IX.

bium opes ad se coacervassent Romani, habuisse fortasse ait aliquid rationis; summam enim rerum haud vendicare sibi potuissent, nisi potentiam aliis ademtam sibi comparassent; ast quæ nec aurum erant, nec argentum, quæ Religionibus patriis consecrata erant, potuisse, immo debuisse, subdit Polybius, Romanos locis, in quibus antea fuerant, cum invidia relinquere, Urbemque illustriorem reddere, non Simulacris captorum Numinum, aut Templorum ornamentis, sed honestate, ac magnanimitate. Severum illud jus, fateor, temperaverunt aliquando, sive eorum qui militibus præerant humanitate speciali & indulgentia, sive ipso arcani imperio acti, ne non satis domitas gentes nimium efferarent, aut sibi eas aliqua ratione devincirent; quare Cicero; *hic ornatus*, inquit, (1) *hæc Opera atque artificia, signa tabulæ pictæ, græcos homines nimio opere delectant..... Itaque majores nostri facile patiebantur, hæc esse quamplurima apud Socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent. Apud eos autem, quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, ut illi, quibus ea jucunda sunt, quæ nobis levia videbantur, haberent hæc oblectamenta & solatia servitutis.* Itaque & alio loco scribit idem Orator: *Cn. Pompejus captis Hierosolymis Victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, ut multa alia, sapienter; quod in tam suspiciosa & maledica*

(1) Lib. IV. in Verr.

dica Civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo Religionem & Judæorum & hostium impedimento præstantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse. (1) Quin & Dion Chrysostomus Romanis benevolentiam, ea de caussa, apud Rhodios conciliare satagebat. Inquiebat siquidem: *Quum Romani sæpius undique supellectilem Templorum palatiorumque acceperint, numquam eorum quidpiam moverunt quæ apud vos sunt. Quum & Nero, tantum desiderium studiumque circa hoc habens, ut ne iis quidem in Olympia abstinuerit, neque iis quæ Delphis erant, licet præ ceteris omnibus illa Templa honorasset, præterea quoque plurimas ex Atheniensium arce transtulerit statuas; multas quoque ex Pergamo, quum illud Fanum sibi competeret (de illis enim quæ fuerunt apud alios quid opus est dicere?) eas dumtaxat quæ apud vos erant, intactas dimiserit: tantamque ostenderit erga vos benevolentiam & honorem, ut totam Civitatem judicaret sanctiorem, quam præcipua Templa.* (2) καὶ διὰ τὸ ῥωμαίους πολλάκις πανταχόθεν εἰληφότας κατασκευὴν ἱερῶν καὶ Βασιλείων, μηδέποτε κινῆσαι τῶν παρ' ὑμῖν μηδὲν. ὅπου καὶ Νέρων, τοιαύτην ἐπιθυμίαν καὶ σπουδὴν περὶ τοῦτο ἔχων, ὥστε μηδὲ τῶν ἐξ Ὀλυμπίας ἀποσχέσθαι, μηδὲ τῶν ἐκ Δελφῶν. καὶ τοι πάντων μάλιστα τιμήσας ταῦτα πάντα ἱερὰ. ἔτι δέ τοὺς πλείστους τῶν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως, Ἀθήνηθεν μετενεγκὼν, καὶ τῶν ἐκ Περγάμου πολλοὺς, αὐτῷ προσηκόντος ἐκείνου τοῦ τεμένους. περὶ μὲν γὰρ τῶν παρ' ἄλλοις τί δεῖ λέγειν, τοὺς παρὰ μόνοις ὑμῖν εἴασε. καὶ τοσαύτην ἐπεδείξατο εὔνοιαν καὶ τιμὴν

ἅμα

(1) Orat. pro Flacco.
(2) Rhodiac. Orat.

ἅμα πρὸς ὑμᾶς, ὥστε τὴν πόλιν ἅπασαν ἱεροπρεπῆ κρῖναι, τῶν πρώτων ἱερῶν. Ex hisce videntur, inquam, bellicum illud jus aliquando temperasse Quirites; quin inferamus tamen; eos haud transtulisse Romam sacra Deorum Evocatorum Signa. Neque heic enim agitur de oppugnatis expugnatisque Urbibus, neque de Obsidionibus, in quibus ad ultimam dimicationem ventum esset: Oratoris licentia utitur Tullius, resque in Verris invidiam, adversus ea, quæ docet ipsemet copiosissime, exaggerat; utitur licentia Oratoris fortasse Dion etiam Chrysostomus, qui & de ætate loquitur, qua vix obsessarum evocabantur Dii Urbium, signaque & ornamenta, impellente modo luxu, e Græcia a Romanis rapiebantur: Cum sociis res tunc erat, non cum apertis hostibus. Ipsaque hæc testimonia satis ostendunt, omnia Romanos publica & sacra transferre Romam consuevisse, magnam fuisse Pompeii verecundiam, singularem vero Neronis erga Rhodios benevolentiam, quod vel in pace nudos etiam parietes, ipsaque ipsis tecta, ut ceteris, non abstulerit; quum tamen undique omnium supellectilem Templorum; sive quæ Delphis, sive quæ Athenis, sive quæ famigeratissimis aliis in Fanis erant, Romani usurpassent.

Livius equidem Atheniensium Legatos inducit Ætolorum in concilio orationem habentes, ut iisdem Romano cum Populo fœdus adversus Philippum Regem ea maxime ratione suaderent, quod vel in bello Quirites Religiosi sem-

per essent, Macedo sacrilegus fuisset. (1) Dubito valde tamen, an cum Historici scripto oratio reapse habita a Legatis examussim conveniret; nec immo rerum semper arbitror historiam ab Oratorum emphasi, veluti a non dubio fonte, desumendam, nimium videlicet tempori aliquando servientium, & argumento. Quis enim Oratori credat Tullio, qui adversus Scriptorum omnino omnium, adversus ipsius facti testimonium, ausus est, secum ipse depugnans, in Verrinis aliquando de Marcello dicere, eum nullius Signum Numinis in Sicilia violasse, nullum adtigisse, nullum secum detulisse Romam Simulacrum? utque facinora Verris exaggerare latius posset, aperte adeo esse mentitum? In oratione Chlæneæ Ætolorum ad Lacedæmonios Legati impius, & iniquus ob ablata donaria Sacra, ob Templa spoliata dicebatur Philippus Rex: In altera e diverso Lucisci Acarnanorum ad eosdem Legati quid aliud ille Rex fecisse dicebatur, nisi direptas, & nudatas ab hostibus vindicare Numinum Ædes, Templorumque Religionem sartam tectam servare? Utraque apud Polybium. (2) Certe Græcarum Urbium Gentes, satis domitæ ut parerent, nondum ut servirent, difficile nimis suorum sibi Signa Deûm ereptum iri patiebantur; movebanturque non semel, & revivisce re quidam videbantur ex hujuscemodi Deorum raptu turbines incompositi, quibus Reipublicæ res haud

(1) Lib. I. Decad. 4. (2) Lib. IX.

haud exigua labefactari ratione possent. Vastata, direptaque ab L. Pinario Ænna refert Livius, (1) eam cladem, Urbis utpote media in Sicilia sitæ, claræque non ob insignem modo munimento naturali locum, verum etiam ob sacrata omnia vestigiis raptæ quondam Proserpinæ, uno prope die omnem pervasisse Provinciam, & quia cæde infanda rebantur non hominum tantum, sed Deorum etiam sedem violatam esse: tum vel qui dubii antea fuerant, defecisse ad Pœnos. *Quid arbitramini Rheginos*, ait Cicero, (2) *qui jam Cives Romani sunt, merere velle, ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? Quid Tarentinos, ut Europam in Tauro sedentem amittant? ut Satyrum, qui apud illos in æde Vestæ est? ut cetera? Quid Thespienses, ut Cupidinis Signum, propter quod unum visuntur Thespiæ? Quid Gnidios, ut Venerem marmoream? Quid, ut pictam, Coos? Quid Ephesios, ut Alexandrum? Quid Cyzicenos, ut Ajacem, aut Medeam? Quid Rhodios, ut Jalysum? Quid Athenienses, ut ex marmore Jacchum? aut Paralum pictum, aut ex ære Myronis bucculam? Longum est, & non necessarium commemorare, quæ apud quosque visenda sunt tota Asia, & Græcia. Verum illud est, quamobrem hæc commemoraverim; quod æstimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem accidere iis, ex quorum Urbibus hæc auferantur.* Idem Tullius de L. Lucullo loquens adversus

 Mi-

(1) Lib. IV. Decad. 3. (2) Verrin. IV.

Mithridatem pugnante: *Plures etiam Gentes*, inquit, (1) *contra Imperatorem nostrum concitatæ sunt; erat enim gravis, & vehemens opinio, quæ per animos Gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi, & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum Exercitum esse adductum. Ita nationes multæ, atque magnæ, novo quodam terrore, ac metu concitabantur.* Et non multo post: *Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras Nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias, ac libidines. Quod enim Fanum putatis in illis terris nostris Magistratibus religiosum, quam Civitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes, ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.* Hæc absque dubio, & Signa Deûm a Victoribus Romam deportata, & jure notatum fuisse ejusmodi a Polybio morem, & Romanos veteres in bellicis magis, quam in civilibus, & arcanis regnandi præstasse artibus apertissime ostendunt. Ille enim vere scit victoria uti, qui esse recordatur dimidium plus toto.

CA-

(1) Orat. pro Leg. Manil.



CAPUT VII.

Quinam obsessarum Urbium Dii memorentur a Romanis evocati: quo carmine, a quibus, & quandiu evocata fuerint a Quiritibus Tutelaria Hostium Numina.



ERTUM est prope infinitos Deos Romam post bella fuisse deportatos. Unus Fulvius de paucissimis, Ætolicis nempe, & Cephaleniæ Urbibus triumphans, ærea Signa CCLXXXV., Signa vero marmorea CCXXX. ante currum tulit; (1) quæ tametsi non omnia Numinum essent, plura tamen sacra fuisse crederem. Evocatos, fateor tamen, enumerare Deos possibile non est. Maxima quippe desiderata hisce in rebus diligentissimi Livii Librorum parte, ea præiertim, quæ Asiaticis de Signis lato tradere debuerit calamo; desi-

(1) Livius Lib. IX. Decad. 4.

desiderata & Historiæ Romanæ parte Velleii Paterculi, totque Fastorum Ovidii Libris; quum juxta rationem scribendi ceterorum Historicorum res ejusmodi minime fuissent, iccirco ab iisdem prætermissæ. Civilibus autem in bellis, in quibus nihil vidisses, nisi

Cognatasque acies, infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis;

in quibus,

Bella geri placuit nullos habitura triumphos; (1)

in quibus,

Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via;
Sed ut secundum vota Parthorum, sua
Urbs hæc periret dextera, (2)

in quibus denique pessimo invicem consilio Romani præliabantur, haud evocata hostium profecto Numina, haud Romam delati capti, victique Dii, sed flammis, ferroque, sanguine, & cædibus, ut Flori verbis utar, *direptarum Urbium diis litabatur*. (3) Gallicis, ac Germanicis in bellis frequens oppugnationes, expugnationesque Castrorum, numquam vero Urbium exaudiuntur, quod diversi, ac discreti, ut fons, ut campus, ut nemus placebat Populi colentes, nullas habitarent Urbes, ne pari quidem inter se

(1) Lucan. Lib. Pharsal. I.
(2) Horat. Epod. VII.
(3) Lib. III. Cap. 18.

ſe junctas ſede. (1) Non omnes demum victas apud Nationes cultos arbitror in Simulacris Deos. Hiſpani veteres, ut ex Inſcriptionibus patet, (2) Deos habuere Urbium Præſides,

Sed nulla effigies, Simulacraque nota Deorum
Majeſtate locum, & ſacro implevere timore. (3)

Quæ Gaditano dicta de Fano; quare aurum, argentumque modo, aut armamentorum copiam, relata legimus ex Hiſpanis ſpolia. Tacitus haud abſimili modo de Numinibus loquitur Germanorum; *Ceterum*, inquit, (4) *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humanioris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine Cæleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Aliquarum in Templis Gentium Simulacra aderant, ſed non aurea, non argentea, aut ærea, ſed primorum potius ſimplicitati temporum accommodata, iccirco Romanis a Victoribus, aureis demum Græcorum, & Aſiæ adſuetis, ut arbitror, ſpreta. Lucanus de Templo Jovis Ammonis in Libya; (5)

Non illic Libycæ poſuerunt ditia Gentes
Templa: nec Eois ſplendent donaria gemmis.
Pauper adhuc Deus eſt, nullis violata per ævum
Divitiis Delubra tenens: morumque priorum
Numen Romano Templum defendit ab auro.

Et

(1) Tacit. *De morib. German.* Cap. VI.
(2) Heynſ. in Lib. Sil. Ital. II. (3) Sil. Ital. Lib. III.
(4) Lib. *De morib. German.* Cap. IV.
(5) Lib. Pharſal. IX.

Et ea ratione solum potuisset illud etiam a Romanorum defendere rapina ; nec enim credere fas est, pauperes Quiritibus placuisse Deos, nec tot deferre Romam voluisse capta Deûm Signa ; si, uti Ammonis illud, ita ceterarum Templa Gentium aureis ; argenteisque donariis caruissent.

Frequentissima autem incendia ; & Barbarorum inruptiones hostium, quæ prioribus Christianæ Religionis sæculis, & Imperio labente ; Urbem, ejusque aut partes ; aut Templa misere vastavere, maximam Posterorum eripuere memoriæ Signorum partem, quæ obsessis ab Urbibus secum Victores Romani devexerant. De incendio Neroniano loquens Tacitus ; postquam eversa opulentissima Templa numerasset, *Jam*, inquit, (1) *opes tot victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora, exin ornamenta ingeniorum antiqua, & incorrupta ; quamvis in tanta resurgentis Urbis pulchritudine, multa Seniores meminerant, quæ reparari nequibant*. Suetonius pariter eodem de incendio : (2) *Tunc præter immensum numerum Insularum ; Domus priscorum Ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ ; Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis, & Gallicis bellis votæ, dedicatæque ; & quicquid visendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat*. Imperante Commodo immane incendium ædificia Urbis, ac Fana consumsisse notum, & cum

(1) Lib. Annal. XV. (2) Vit. Neron.

cum iis sacra periisse spolia Hierosolymitano sublata e Templo, quæ Vespasianus in alterum Pacis intulerat; etsi vasa quædam ad Honorii usque tempora adservata fuerint, quæ Vandalorum tandem spoliis cessere (1).

Hisce ex omnibus videt jam quisque, minime pervium esse, ingentem Evocatorum copiam Numinum in medium adferre. Verum age, quæ colligi potuerunt, enumeremus. Teste Plutarcho, (2) Fabius Fabrianus Maximi Cognatus diripiens Tuxium principem Samnitium Urbem, Venerem Victricem, quæ apud illos colebatur, Romam misit. T. Quintius, exacto Prænestino bello, Romam reversus est, *triumphansque Signum Præneste devectum Jovis Imperatoris in Capitolium tulit*. (3) *Feruntur Romani*, inquit Servius, (4) *expugnata Urbe Valeria, Jani Statuam illic inventam inde Romam deportasse, aut saltem ei similem Romæ fecisse, ubi sub hac forma illum invocarunt*; & ad Maronis illa:

Juppiter & Turnum & terras invisa relinquo.

. . . .

Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores;

Constat, inquit, (5) *bello punico secundo exoratam*

(1) Procop. *De Bell. Vandal.*
(2) In Parallel.
(3) Livius Lib. VI. Decad. 1.
(4) In Lib. Æneid. VII.
V. Grosei de Roze Differt. de Jano Veter.
(5) In Lib. Æneid. XII.

tam Junonem: tertio vero bello, a Scipione sacris quibusdam etiam Romam esse translatam Signis: Mummius devicta Achaja replevit Urbem, inquit Plinius, (1) *multa Luculli invexere ..... Moles excogitatas videmus Statuarum, quas Colossos vocant, Turribus pares: Talis est in Capitolio Apollo translatus a Lucullo ex Apollonia Ponti Urbe XXX. cubitorum CL. talentis factum*. Signum etiam Jovis Imperatoris ex Macedonia captum in Capitolio posuit Flaminius: *Jovem autem Imperatorem*, inquit Tullius, (2) *quanto honore in suo Templo* (Syracusani) *fuisse arbitramini? hinc colligere potestis, si recordari volueritis, quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius. Etenim tria ferebantur in Orbe terrarum signa Jovis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta: unum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus; alterum, in Ponti ore & angustiis; tertium, quod Syracusis ante Verrem Prætorem fuit. Illud Flaminius ita ex Æde sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Jovis poneret*. Quæ ad verba animadvertit Grævius, (3) per Flaminium intelligi a Tullio T. Quinctium Flaminium, quamvis Livius, ut mox vidimus, id tribuat Q. Cincinnato, quem Præneste Romam id signum transtulisse scribit; eique adstipuletur Victor in Urbis

(1) Lib. XXXIV. Cap. 7.
(2) Cicer. Verrin. IV.
(3) Not. in Lib. in Verr. VI.

bis descriptione, Signum Jovis Imperatoris Præneste devectum putans. Arbitratum subdit Lipsium, hunc dissensum ortum esse ex titulo hujus signi, cui tantum *T. Quinctii* nomen fuerit inscriptum, qui id in Capitolio sine cognomine dedicaverit. Itaque alios retulisse ad T. Quinctium Flaminium, alios ad T. Quinctium Cincinnatum, tamquam is Præneste devexerit, ut Livius, & Victor. Hos omnes, utpote in Obsidionibus captos Deos, certum est fuisse a Quiritibus oppugnatis ex Urbibus evocatos.

Urbes aliquas, & Oppida devota [e quibus scilicet evocata fuerant Numina; hac enim cæremonia peracta, Hostium Urbes Diis devovebantur Manibus] (1) enumerat Macrobius; Stonios nempe, Fragellas, Gabios, Vejos, Fidenas intra Italiam, extra eandem, Carthaginem, Corinthumque.

Minervæ Signum in bello adversus Phaliscos captum, Romamque a Victoribus translatum ait Ovidius: (2)

Parva licet videas Capitæ Delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio caussa est - - - -
- - - - - - - - - - - -
An quia perdomitis ad nos captiva Phaliscis
Venit: & hoc signum littera prima docet?

Ve-

(1) Macrob. Lib. Saturnal. III. Cap. 9.
(2) Lib. Faftor. III.

Venerem autem e Siculis evocatam Urbibus memorat idem Fastorum Interpres Vates: (1)

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: a Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, & bello Te quoque cepit Erix;
Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ,
Inque suæ stirpis maluit Urbe coli.

Solemnem, celeberrimamque Junonis in Oppugnatione Vejorum Evocationem lato tradit calamo Livius. Jam decem ab annis Urbs oppugnabatur; jam ex Albano lacu aqua in agros emissa Vejos fata appetere satis ostendebat; jam reversi ab Delphis Legati sortem oraculi propitiam adtulerant; jamque signis cum Faliscis, & Capenatibus collatis victoriam retulerat M. Furius Camillus Dictator, quum extremam ante Oppugnationem hoc ille Evocationem auspicato carmine peregit: *Tuo ductu Pythice Apollo, tuoque numine instinctus, pergo ad debellandam Urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo. Te simul Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos Victores in nostram, tuamque mox futuram Urbem sequare: ubi Te dignum amplitudine tua Templum excipiat.* (2) Expugnatis Veiis, *amoliri tum Deum dona, ipsosque Deos Romani, sed colentium magis, quam rapientium modo cœpere; namque delecti ex omni* exer-

(1) Lib. Fastor. IV.
(2) Livius Lib. V. Decad. 1.

exercitu Juvenes pure lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Juno assignata erat, venerabundi Templum iniere, primo religiose admoventes manus, quod id Signum, more Etrusco, nisi certæ Gentis Sacerdos attrectare esset solitus. Motam sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem, ac facilem translatu fuisse, integramque in Aventinum, æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris voverant, perlatam, ubi Templum postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit. Quam inique hoc Livii testimonium & factum interpretatus fuerit Plutarchus, egregie a Perizonio ostensum est. (1)

Haud exiguum vero Evocatorum Numinum censum suo refert in Carmine Romana Sacra sollicitante Prudentius. Sic enim de victrice Roma: (2)

Hoc Signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in prædam sumsit Athenis;
Quasdam victa dedit Capitis Cleopatra canini
Effigies, quasdam domitis Ammonis harenis.
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.

\- - - - - - - - - - - -

Sed multi duxere Dei per prospera Romam;
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age, Bellatrix, quæ vis subjecerit, ede,
Europam Lybiamque tibi, dic nomina Divum?

I *Juppi-*

(1) Lib. Animadv. Historic. Cap. IX.
(2) Lib. adv. Symmach. II.

Juppiter ut Cretæ domineris, Pallas ut Argis,
Cynthius ut Delphis tribuerunt omine dextro:
Isis Nilicolas, Rhodios Venus alma reliquit;
Venatrix Ephesum Virgo, Mars dedidit Hebrum:
Destituit Thebas Bromius: concessit & ipsa
Juno suis Phrygiis servire Nepotibus Aphros,
Et quam subjectis Dominam Dea Gentibus esse
Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque,
Jussit Romuleis addictam vivere frenis.

Illud autem adnotatione dignum, Romanos videlicet, spoliatis hostilium Urbium fanis, ornamentisque sacris, ac donariis egestis, Numina etiam ipsa capta dixisse, victa, ac evocata. Judæorum Deus, esto quis ille vere esset, togata Gens utique non sciret, esto sine Signo cultus, quod tamen, expugnatis Hierosolymis, Sacra omnia, Templique ornamenta Romam Victores tulissent, evocatus dicebatur, victus, captus, & triumphatus. *Judæorum sola & misera Gentilitas* [apud Minucium Felicem ajebat ille Ethnicus] (1) *unum & ipsi Deum, sed palam, sed Templis, aris, victimis, cæremoniis coluerunt: cujus adeo nulla vis, nec potestas est, ut sit Romanis hominibus cum sua sibi natione captivus.* Scilicet e jam recitatis principiis, quibus numquam inveniri posse, numquam adesse Deos voluisse novimus, ubi infortunia imminerent, ubi suarum ornamenta Ædium raperentur, ubi nullæ divitiæ essent; quare & sim-

(1) In Octav.

simplex ille Christianus Vates Commodianus, ubi de Ammudate quodam ignoto Deo loquitur, inquit: (1)

Magnus erat illis quando fuit aurum in æde.
Mittebant capita sub Numine quasi præsenti.
Ventum est ad summum, ut Cæsar tolleret aurum,
Defecit Numen, aut fugit, aut transit in ignem.

Formulam, precesque, quibus ad evocandos oppugnatis ab Urbibus Deos utebantur Quirites, retulit Macrobius, cujus en verba: (2) *Si Deus, si Dea est, cui Populus, Civitasque Carthaginiensis est in tutela, Teque maxime ille, qui Urbis hujus Populique tutelam recepisti; precor, veneror que, veniamque a vobis peto, ut Vos Populum, Civitatemque Carthaginiensium deseratis; loca, Templa, Sacra, Urbemque eorum relinquatis, abque his abeatis: eique Populo, Civitatique metum, formidinem, oblivionem iniiciatis: proditique Romam ad me, meosque veniatis: nostraque vobis loca, Templa, Sacra, Urbs acceptior, probatiorque sit: mihi quoque, Populoque Romano, Militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis Templa, ludosque facturum.*

Verba illa: *Si Deus, si Dea est*, millies apud veteres reperiuntur Auctores, cujus rationem formulæ toti sunt ut interpretentur Recentiores. Alii igitur ex ignorato Tutelari Numine

 eam

(1) Instruct. XVIII.
(2) Lib. Saturnal. III. Cap. 9.

eam formulam ortum accepiſſe ſuum arbitrati ſunt. (1) Alii *γύνανδρυς κ̀ ἀνδρόγυνυς* haud exi- existimantes Deos, ex ignorato vocatæ Divinitatis ſexu inventam, profectamque docuere. (2) Alii eandem, tametſi indeterminate conceptam, alicui peculiari tamen convenire Deo conantur oſtendere. (3) Nonnulli quod multiplici Deorum ex munere, multiplici inſignirentur etiam nomine, ea fuiſſe dicunt ratione cautum, ne fortaſſe non ſuo, aut inauſpicato nomine Numen appellantes, piaculis tenerentur inexpiabilibus. (4) Alii demum Deos, Deaſque omnes confuſe perpetuo invocari dixere. (5) Hujuſmodi autem aliis in cæremoniis, ſive alio in loco, alioque tempore, idoneas eſſe formulæ interpretationes candide fatemur, ſecus in Evocatione. Univerſam ſiquidem formulam plures dicimus, ut e verbis, quibus concipitur, patet, reſpexiſſe Deos, quotquot ſcilicet bellum, & pacem curare dicebantur, quotquot Urbis, aut expugnandi Oppidi erant Præſides. Vetus doctrina erat plures unius Urbis Deos eſſe Tutelares, quod ex Laribus facti Viales, & Compitales, exque Compitalibus orti totius crederentur Gentis, Urbis totius Præſides; ſingulis ſcilicet familiis Custodes

(1) Aul. Gell. Lib. Noct. Attic. II. Cap. 28.
(2) Arnob. Lib. III. adv. Gent.
(3) Boxhorn. Quæſt. Roman. I.
(4) Aul. Gell. Lib. Noct. Attic. II. Cap. 28.
(5) Briſſon. *De Formul. & Solen. Pop. Rom.* Lib. I.

des junctim Urbi præsidere, unde multitudo Præsidum. (1) Eos Larium nomine pluribus vocatos a Poetis edocet Parrhasius; (2) eosque Larium nomine indigitat Propertius; cetera enim inter Romanam ad rem pertinentia, quæ recubans vidisse fingit, Cannensem non omittit cladem;

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes: (3)
De Laribus namque Urbium, eorumque loquens munere; hæc Ovidius: (4)

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus Urbis,
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.

Qua fide fultus & Tibullus, hac prece supplici Lares advocat suppetias adlaturos: (5)

At nobis ærata Lares depellite tela;

quare illo ex usu, quem in bello præstare censebantur, eosdem *Hostilios* appellabant; (6) eisdem præsentibus rem se prospere gesturos arbitrati.

Romani profecto plures una venerabantur æternæ Urbis, & Imperii Præsides; quare Tullius: *Primum*, inquiebat, (7) *debeo sperare, omnes Deos, qui huic Urbi præsident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam esse*. Et alio in

(1) Vossius Lib. *De Orig. Idolol.* I. Cap. 11.
(2) Comment. in Lib. Claud. I. *De Rapt. Proserpin.*
(3) Lib. III.
(4) Lib. Fastor. V.
(5) Lib. II. Eleg. 10.
(6) Fest. Lib. VIII. Voc. Hostil.
(7) Orat. in L. Catilin. IV.

loco: (1) *Testor Vos, & Populum Romanum, & omnes Deos, qui huic Urbi præsident*. Sic & pro Augusti incolumitate, & gloria Deos omnes Urbis, ac Imperii Romani Præsides invocat Virgilius: (2)

Dj Patrii Indigetes, & Romule, Vestaque Mater,
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia servas,
Hunc saltem everso Juvenem succurrere sæclo.

Pro eodem Deos etiam omnes, qui Æneam flammas inter, & Græcorum gladios deduxere incolumem, ceterosque Urbis, ac Imperii Romani Præsides advocat Ovidius: (3)

Dj, precor, Æneæ comites, quibus ensis & ignis
Cesserunt; Djque Indigetes, Genitorque Quirine
Urbis, & invicti Genitor Gradive Quirini,
Vestaque Cæsareos inter sacrata Penates,
Et cum Cæsarea Tu, Phœbe domestice, Vesta;
Quique tenes altus Tarpejas, Juppiter, arces,
Quosque alios Vati fas appellare, piumque est:
Tarda sit illa dies, & nostro serior ævo,
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto,
Accedat cœlo, faveatque precantibus absens.

Bellicis autem in expeditionibus hæc etiam omnia invocabant Romani Duces Tutelaria Urbis, ac Imperii Romani Numina; quare Cæsar cœpturus civile bellum, ita a Lucano precatus inducitur: (4)

Q Ma-

(1) Philippic. XIII. (2) Lib. Georg. I.
(3) Lib. Metamorph. XV.
(4) Lib. Pharsal. I.

O Magnæ qui mœnia prospicis Urbis
Tarpeja de rupe tonans, Phrygiique Penates
Gentis Juleæ, & rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o Numinis instar
Roma fave cœptis: non te furialibus armis
Prosequor.

Cæsarem ipsum Pharsalicam post pugnam idem Vates per Troadem circumducens, sic eum, dirutum dum conspicit Ilium, vota iterum ad Deos concipientem effingit: (1)

Dj, cinerum Phrygias colitis quicumque ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lavinia Sedes
Servat & Alba Lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta Virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile Templo,
Gentis Juleæ vestris clarissimus aris
Dat pia thura Nepos, & vos in Sede priori
Rite vocat: date felices in cetera cursus:
Restituam Populos, grata vice mœnia reddent
Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.

Quam belle hoc carmen suis omnibus in partibus Evocationis cum prece convenit! Reapse, cur non hos omnes Imperii, ac dominæ Urbis Præsides invocare debuissent Quirites, quum dubitassent minime, eosdem omnes oppugnatam olim Urbem defendisse, suo quosque in ejusdem propugnatione militariter functos munere, ut Pœnorum inde Ducem in fugam ver-

(1) Lib. Pharsal. IX.

terent? Scilicet quod uno dixit Propertius carmine, exhibet nobis amœnissima descriptione Silius Italicus. (1)

Juppiter Æthiopum remeans tellure, minantem
Romuleo Pœnum ut vidit succedere vallo,
Cœlicolis raptim excitis defendere tecta
Dardana, & in septem discurrere jusserat arces.
Ipse e Tarpejo sublimis vertice, cuncta
Et ventos simul, & nubes, & grandinis iras,
Fulminaque & tonitrus, & nimbos conciet atros.
Jamque propinquabat muro, quum Juppiter ægram
Junonem alloquitur curis, mulcetque monendo:
Nullane Sidonio Juveni, Conjuxque, Sororque
Chara mihi, non ulla umquam sine fine feroci
Addes frena Viro? fuerit delere Saguntbum,
Exæquare Alpes, imponere vincula sacro
Eridano, fœdare lacus, etiamne parabit
Nostras ille domos, nostras perrumpere in arces?
Siste Virum, namque (ut cernis) jam flagitat ignes,
Et parat accensis imitari fulmina flammis.
His dictis grates agit, ac turbata per auras
Devolat, & prensa Juvenis Saturnia dextra,
Quo ruis o Vecors? majoraque bella capessis
Mortali quam ferre datur? Juno inquit, & atram
Dimovit nubem, veroque apparuit ore.
Non tibi cum Phrygio res, Laurentique Colono,
En age (namque oculis amota nube parumper
Cernere cuncta dabo) surgit qua celsus ad auras,
Aspice, Montis apex, vocitata Palatia Regi
Parrha-

(1) Lib. XII.

Parrhasio, plena tenet, & resonante pharetra,
Intenditque arcum, & pugnas meditatur Apollo.
At qua vicinis tollit se collibus altæ
Molis Aventinus, viden' ut Latonia Virgo
Accensas quatiat Phlegetontis turgite tedas,
Exertos avidæ pugnæ nudata lacertos?
Parte alia cerne, ut sævis Gradivus in armis
Implerit dictum proprio de nomine campum.
Hinc Janus movet arma manu, movet inde Quirinus
Quisque suo de colle Deus, sed enim aspice, quantum
Ægyda commoveat nymbos, flammasque vomentem
Juppiter, & quantis pascat ferus ignibus iras.
Huc vultus flecte, atque aude spectare Tonantem,
Quas hyemes, quantos concusso vertice cernis
Sub nutu tonitrus? oculis qui fulguret ignis?
Cede Deis tandem, & Titania desine bella.

Jam vero non semel dictum, Romanos extera quæcumque Romana interpretatione, suoque concepisse modulo. Itaque ea ratione, qua plures arbitrabantur habuisse se Propugnatores Romanæ Urbis Deos, eaque ratione, qua plures in bellis invocabant suæ Gentis Præsides, ita plures evocare necessum duxere Tutelares Urbium oppugnatarum Deos. Exemplum rei, quo & nostra Interpretatio confirmetur Formulæ, in L. Pinario est, qui, capto de Ænnensibus in Sicilia trucidandis consilio: *Vos*, inquit, (1) *Ceres Mater, ac Proserpina precor, ceteri superni, infernique Dii, qui hanc Urbem, hos sacratos lacus,*

(1) Livius Lib. IV. Decad. 3.

lacus, lucosque colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandæ, non ferendæ fraudis caussa hoc consilii capimus. Sic Ethnici reipsa omnes, pro vera polytheismi indole, preces concipiebant suas, quod solitaria Numina nullibi fortasse noscerent; unde & Archidamus Lacedæmoniorum Rex, hostilem adgressurus Platæensium agrum, Deos omnes illius Gentis, illius regionis Præsides ita contestari cæpit: Θεοὶ ὅσοι γῆν τὴν πλαταιίδα ἔχετε. (1) *Dii quotquot Plataeensem terram possidetis.*

Illud immo carmen bellicos arbitror omnes respexisse Deos; Dii quippe, Ethnicorum in sententia, multi uni rei præsidere dicebantur, utque Nuptialia Numina Hymenæus, Juno, Erycina, Ceres, Phœbus, & Bacchus erant, ita & Bellica Mars, Bellona, Pellonia, alia, Neptuno murorum, ac fundamentorum per cuniculos discutiendi partes datæ, Junoni Portarum præsidia, utpote quæ ipsius inventum, & cura; iccirco egregie Poeta: (2)

Non tibi Tyndaridis facies invisa Leænæ,
Culpatusque Paris, verum inclementia Divum
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Neptunus muros, magnoque emota Tridenti
Fundamenta quatit, totamque a sedibus Urbem
Eruit, hic Juno Scæas sævissima Portas
Prima tenet, sociumque furens a nubibus Agmen
Ferro accincta vocat.

Jam

(1) Thucydid. Lib. I. (2) Lib. Æneid. II.

Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit nimbo effulgens, & Gorgone sæva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit, ipse Deos in Dardana suscitat arma.

Ut enim non unus modo pro Oppugnatoribus stabat Deus, uti pro Græcis adversus Trojam Hermes, Neptunus, Vulcanus, Juno, Minerva, ita nec unus tantum adversus oppugnatæ Urbis hostes; uti pro obsidione pressis Trojanis Xanthus, Apollo, Venus, Mavors, Latona, Diana; quare & Æneas in prece: (1)

Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere Genti,
Dique, Deæque omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ.

Itaque præter peculiarem, ac præcipuum, ita ut dicam, Tutelarem, ceteros etiam, & quoscumque Lares Romani evocabant; immo fortasse communes aliquando Deos, denique & Romanos. Vel ante Vejorum expugnationem Regina Juno Præsides inter Romæ Deos frequens ab Historicis enumerata, & tamen eandem ex Vejis evocatam inde fuisse dubitandum non est. Fortassis in Dearum vetere Collegio admisere Romani, non nomine, aut officio tenus, sed re, naturaque diversas, discretasque Junones, uti probatissimis ex Inscriptionibus celebris Paciaudus arbitratus est. (2) Ceterum nil adversus Evocationis principia, si vel Juno Re-

(1) Lib. Æneid. VI.
(2) Differt. *De Antiquitatib. Cupræ* §. 2.

Regina solum semper cognita fuisset. Quum enim Ethnicorum in sententia maximi deambulatores essent Dii, & modo in hoc; modo in illo exstarent loco; proque diversitate temporum uni præstites modo, modo alteri adstites dicerentur Genti, ea videlicet ratione, qua pro locorum diversitate diversa credebantur habere munera, diversas potestates; heinc inferre jure possumus, verba illa Formulæ, *Si Deus; si Dea est*; non ad ignotos modo, occultosque, aut media etiam de plebe Deos; sed ad communes aliquando esse referenda.

Maximum hisce omnibus accedit momentum; privatis scilicet quidem Ethnicis, privatis in votis, privato in negotio, in moribus fuisse; speciales invocare, ac singulares Deos; ast in negotiis quibuscumque publicis, uti in ferendis legibus, ac fœderibus ineundis, in devovendis Urbibus, ac hostium copiis, ideoque & in Evocationibus, Præsides regionis omnes; Majorumque Deos Gentium fuisse ab eisdem invocatos; etiam præcipui Præsidis mentionem facere aliquando soliti fuissent. Adfert Polybius jusjurandum ab Annibale, ceterisque Carthaginiensibus, cum Xenophane Cleomachi Atheniensium Legato factum, quem videlicet ad eos miserat Philippus Demetrii Rex, pro se, Macedonibus, ac Sociis: (1) Ἐναντίον Διὸς, καὶ Ἥρας, καὶ Ἀπόλλωνος· ἐναντίον δαίμονος Καρχηδονίων, καὶ Ἡρακλέους, καὶ Ἰολάου·

(1) Lib. VII.

Ἰολάυ· ἐναντίον ἄρεως, τρίτωνος, ποσειδῶνος· ἐναντίον Θεῶν τῶν συστρατευομένων· καὶ ἥλιυ, καὶ σελήνης, καὶ γῆς· ἐναντίον ποταμῶν, καὶ λειμόνων, καί ὑδάτων· ἐναντίον πάντων Θεῶν ὅσοι κατέχυσι καρχηδόνα· ἐναντίον Θεῶν πάντων ὅσοι Μακεδονίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἑλλάδα κατέχυσιν· ἐναντίον θεῶν πάντων τῶν κατὰ στρατείαν, ὅσοι τινὲς ἐφεστήκασιν ἐπὶ τῶδε τῷ ὅρκυ. *Et est fœdus hoc ictum coram Jove, & Junone, atque Apolline: coram Dea Carthaginiensium* (En Tutelarem) *Hercule, & Jolao: item coram Marte, Tritone, Neptuno: coram Diis expeditionis comitibus: Sole etiam, Luna, & Tellure: coram Fluviis, pratis, aquis, coram omnibus Diis, qui Carthaginem imperio tenent: coram Diis universis, qui Macedoniam, & reliquam terram Græciam imperio suo obtinent: coram Diis omnibus Præsidibus rei bellicæ, qui huic sanciendo fœderi præsentes interveniunt.* Adeo res Populi, salusque publica, non unius esse videbantur posse curæ Numinis concreditæ. Vellejus Paterculus Romanæ Gentis Historiam, hisce votis in salutem omnium conceptis, hisce verbis absolvit: (1) *Juppiter Capitoline, & auctor, ac Stator Romani nominis Gradive Mars, perpetuorumque Custos Vesta ignium, & quidquid Numinum hanc Romani Imperii molem in amplissimum terrarum Orbis fastigium exstulit, vos publica voce obtestor, custodite, servate, protegite hunc statum, hanc pacem &c.* Idoneam habes, aut ego fallor, carminis, sive for-

(1) Lib. II.

formulæ Evocationis in cæremonia usu habitæ interpretationem.

Supremo ab Exercitus Duce recitabatur hoc Evocationis carmen, uti in Camillo Vejos expugnante relatum mox exemplum est; supremi etenim apud Romanos Copiarum Moderatoris erat, sacrificia, in castris offerre, vovere aras, & Templa, Hostium Urbes, atque Copias Diis devovere Manibus, (1) præeunte tamen Evocationis verba, qui in castris operabatur, Pontifice, Gabino cinctu incincto, (2) consueta videlicet lacinia togæ levo brachio subducta, inque tergum rejecta, contracta, retractaque ad pectus, & in modum ita flexa, quo brevior, ac strictior efficeretur; (3) more, uti adnotum, a Gabiis recepto, quorum Cives subitaneum ad bellum ita cincti exsilierunt, redieruntque victores. (4) Hasce tamen omnes cæremonias, exsoleto e Populo rapinarum sacrarum horrore, & patefacto Victorum jure, elongatione temporis antiquatis, uti fieri solet, prioribus Religionum institutis, ea etiam ratione, qua bellicos Fecialium ritus, adservata, ita ut dicam, Evocationis substantia, imminente Reipublicæ senectute, & canitie, extimas utpote, & non adhuc necessarias, neglexisse Romanos arbi-

(1) Choul. *de Castrament. Roman.*
(2) Guther. *De Jur. Veter. Pontif.* Lib. I. Cap. 29.
(3) Ferrar. *De Re Vestiar.* Lib. I. Cap. 14.
(4) Farnab. in Lib. Æneid. VII.

arbitror; *Dubium non est*, inquiebat Tullius, (1) *quin haec Disciplina & ars Augurum evanuerit jam & vetustate & negligentia. Itaque neque illi assentior, qui hanc scientiam negat umquam in nostro Collegio fuisse: neque illi, qui esse etiam nunc putat*. Quamvis non idem vero ars Augurum cum Evocatione Deorum in oppugnationibus Urbium, illo ex testimonio tamen quantum mutata inde fuerint Romanorum Sacra, satis intelligimus; uti ex Arnobii testimonio ita Religionem Christianam adversus Romanos tunc rerum dominos egregie vindicantis: *Nam si mutare sententiam culpa est ulla vel crimen, & a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare; criminatio ista & vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque mutastis, qui in mores alios, atque alios ritus primum condemnatione transistis. Numquid enim quinque in classes habetis Populum distributum, vestri olim ut habuere Majores? Numquid Magistratus per Populum creatis? militaria, urbana, communia quae sint Comitia, scitis? Servatis de coelo, aut otiosas facitis obnunciationibus actiones? Cum paratis bella, signum monstratis ex arce? aut fecialia jura tractatis? Per clarigationem repetitis res raptas? aut martium discrimen obeuntes spem praelii sumitis, & ex acuminibus auspicatis? ..... In penetralibus Vestae ignis perpetuos fovetis focos? sacras facitis mensas salinorum apposito & Simulacris* Deo-

(1) Lib. de Legib. II.

Deorum ? (1) Quamvis igitur ad posteriorem usque Romanæ Reipublicæ ætatem vetera signa intimis in penetralibus adhuc adservaverint Quirites, & aliquam eorum superstitiosiores habuerint rationem; unde Tullius: *reddite nobis Brutum, lumen & decus Civitatis: qui ita conservandus est, ut id signum, quod de cœlo delapsum, Vestæ custodiis continetur: quo salvo, salvi sumus futuri;* (2) quamvis etiam Heliogabalus, Signum, quod Palladium esse putabat, abstulisse dicatur, & in Dei sui templo locasse; (3) ast tamen quum ad illud cæremoniarum veterum genus Evocatio Deorum spectasse videatur, de quo mox Arnobius, inde eam ut ceteras antiquatam fuisse imaginari jure possumus. Ea de re triumphum sui temporis oratoria etiam describens ubertate Tullius, Deorum Evocatorum signa videtur prætermittere. *Quid tandem habet iste currus?* inquit, (4) *quid vincti ante currum Duces? quid simulachra Oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa?* Dum se doluit Ovidius non interesse potuisse triumpho Cæsaris de victa Germania, eumque descripsit, nil de Diis memoravit ceu tunc temporis, ut olim, triumphatis & victis. Illa tantum legas: (5)

Ergo

(1) Lib. II. adv. Gent. (2) Philipp. XI.
(3) Lamprid. in Vit.
(4) Orat. in Pison.
(5) Lib. Trist. IV. Eleg. 2.

Ergo omnis populus poterit spectare triumphos;
Cumque Ducum titulis Oppida capta leget;
Vinclaque captiva Reges cervice ferentes
Ante coronatos ire videbit equos.
Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
Terribiles aliis, immemoresque sui.
Quorum pars caussas, & res, & nomina quæret,
Pars referet, quamvis noverit illa parum.
Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.

Heinc intelligimus, cur Macrobius Quirites ea *sæpe* usos cæremonia dixerit, (1) cur etiam Plutarchus putasse se Romanos, Evocationis ope, scripserit, Θεὺς τινας ἐκκαλεῖσθαι παρὰ τῶν πολεμίων, *quosdam ad se ex victoriis traduxisse Deos.* (2) Nam etsi Pompeii in triumpho prælatas legimus Barbaricorum Deorum Statuas cum ornatu patrio; (3) etsi alias Urbes sub Cæsaribus etiam, infensantibus Diis exitio traditas dixerit Historicus; (4) etsi victus, triumphatusque, & captus dictus fuerit Hierosolymorum Deus; (5) etsi demum, Vespasiani tempore de Evocatione agens scriptum reliquerit Plinius: (6) *Durat in Pontificum disciplina id sacrum;* de suæ tamen hominibus ætatis perpetuo quereban-

K tur

(1) Lib. Saturnal. III. Cap. 9.
(2) Quæst. Roman. LX.
(3) Appian. *De Bell. Mithrid.*
(4) Tacit. Lib. Annal. XIII. Cap. 10.
(5) Min. Felix in Octav.
(6) Lib. XXVIII. Cap. 2.

tur ceteri Romanorum Historici, quod veteres hosce ritus, sacrasque cæremonias, & Patrum Religiones, omnem veluti divini, humanique juris memoriam, abolevissent, nova, peregrinaque omnia priscis prætulissent, ac patriis: (1) laudabilibus olim, & dum rudia erant ingenia, carminibus, inconditis ætatis vitio factis, & a molli prorsus seculo abhorrentibus: (2) nihil Deos portendere creditum, quare aut nulla in publicum nuntiata prodigia, nulla in Annales relata, aut veluti irrita accepta: (3) Victorias, & cetera quæcumque, visa sine cura Deûm, qui vilioris, infirmiorisque erant Plebis imbecillitati relicti. Equidem nonnulla vetera Sacra, Cæsarum ætate, consulto vitabantur; Augustum immo ex horrida illa antiquitate elegantiorem ad usum plurima flexisse scimus; (4) Claudium e diverso & arte, & socordia exsoletas redintegrare optasse cæremonias. (5)

CA-

(1) Livius Lib. VIII. Decad. I.
(2) Idem Lib. VII. Decad. 3.
Iterum Lib. III. Decad. 5.
(3) Tacit. Lib. Annal. XIV. Cap. 2.
(4) Idem Lib. Annal. IV. Cap. 3.
(5) Idem Lib. Annal. XI. Cap. 4.
Sueton. Vit. Claudian.



CAPUT VIII.

Leges nonnullas, & facta quædam, aut dicta Romanorum nulla fuisse ratione ritui Evocationis adversa.



UT de Legibus primum sermo sit; nemo est; Romana non omnino hospes in historia; qui ignoret; quanta Patrum cura fuerit; ne peregrina Numina Populus Romanus induceret, neve externos amplecteretur ritus. Id A. Cornelio Cosso, & T. Quintio Pœno Coss. decretum; (1) decretum pariter Coss. Q. Fabio Maximo, & T. Sempronio Graccho. (2) Actum & de peregrinis Sacris pellendis anno Urbis conditæ DCCLXXII. (3) Plures exteris de Religionibus quæstiones videre est Romanos apud Auctores. (4) Prohi-

 bitus

(1) Livius Lib. IV. Dec. 1. (2) Idem Lib. V. Dec. 3.
(3) Tacit. Lib. Annal. II.
(4) Cicer. Lib. II. *De Legib.*
Dionys. Halicarnass. Lib. II.
Sueton. in Tiber.

bitus & olim Cof. Lutatius Præneſtinas, utpote, externas, adire fortes. (1) Denique Henricus Stephanus Romanorum Gentem peregrina Sacra adeo averſatam fuiſſe contendit, ut exceptis quibusdam paucis, quæ a Græcis Majores eorum, vel potius τῶν προπατόρων προπάτορες tranſtuliſſe ait, rectius μισοξενεῖν περὶ τὲς Θεὲς, quam φιλοξενεῖν dici potuiſſe aperriſſime adfirmet; (2) quibus e momentis, κατ' ὄψιν probabilibus, in dubitationem revocare quis fortaſſe poſſet, an proclives adeo hoſtiles erga Deos fuerint Quirites, ut hoſtilium in expugnationibus Urbium, nova eos evocaverint in Templa, & ad novas tranſtulerint, perpetuaſque æternæ Urbis ſedes.

Reapſe haud video, qua nam ratione Romani Patres, quorum erat Religio in artem, & imperium evecta, quique Religionem potius ad regnandi artes, quam has ad illam referre ſoliti erant, externa potuerint, inviolatis dominationis arcanis, non arcere ſacra, eodemque jure, quo Peregrinos non tantum Urbe, ſed etiam facile Civitate donabant, hoſtilium etiam mœnium Præſides, Romanas devehere ad ſedes. Nam ut ut irridere voluiſſent Flaminum ſuperſtitionem, qui quicquid ſua non ſumtum erat e penu, admittere ἀθέμιζον habebant, nec aliud quam ἀμύητα ocalos hominis abominabantur magis, aſt cur ignoraſſe Patres obſecro velimus,

(1) Val. Max. Lib. I. Cap. 4.
(2) Dialog. *De morib. Græcor.*

limus, raro solam Religionem mutavisse Civitates, patriisque institutis, ac Sacris Respublicas maxime contineri, adeo quidem ut, singulorum de moribus Civium, status omnium, & Societatis procul dubio pendeat; ideoque migrare ea, aut vel minima quæcumque mutare, ac nova recipere esse periculosissimum? Videre persæpe quippe licet, eorum qui in externis versantur consuetudinibus, amorem, & studium adversus Patriam paullatim elanguescere; nam ut eleganter Poeta: consuetudo concinnat amorem; unde & Patriæ tandem existat contemtus necesse est, externorum amor, & admiratio; sæpe etiam cum iis conspirationes, atque consilia adversus suos; uti sapienti ceterum, & eximio accidit Viro Xenophonti, propter diuturnam cum Agesilao Spartano consuetudinem: Itaque Legumlatorum aliqui, Religionis maxime caussa, suis Peregrinorum commercio, & consuetudine interdixere; (1) nam & multarum interitum Rerumpublicarum ex Sacrorum aliquando non probata omnibus dissimilitudine exstitisse, rerum eventus latissime docuere. (2) Hacce utiqne de caussa Victores in eo fuerunt pæne omnes, ut in victoris mores Populi devictas pertraherent Nationes. Antiochus debellatis, superatisque Judæis, *scripsit omni Regno suo, ut esset omnis Populus unus: & relinque-*
 ret

(1) Giphan. Præf. ad Odyss. Homer.
(2) Bodin. Method. ad Histor. Cap. VI.

ret unusquisque legem suam. Et misit Libros per manus Nuntiorum in Jerusalem, & in omnes Civitates Juda, ut sequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in Templo Dei. Et prohiberent celebrari Sabbatum, & dies solemnes. Et jussit coinquinari Sancta, & sanctum Populum Israel. Et jussit ædificari aras, & Templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia, & relinquere filios suos incircumcisos. (1) Alter autem Antiochus, Nobilis appellatus, antiquato pariter gentili Judæorum cultu, iisdemque coactis, ut transirent ad instituta Gentium, Judæorum filios instituendos curavit consuetudinibus Græcorum, Judæosque Adolescentes pileum gestare jussit Macedonicum; (2) ita quippe Casaubonus, adversus Junium, verba Sacri Auctoris interpretatur: τὲς Ε᾽φήβες ὑπὸ πέτασον ἦγε. (3) Albani certe, Patria relicta, & cum Romanis commixti, Romano sacrificavere ritu; (4) quo unus vere e duobus conflatus dici potuisset Populus, mens, & anima Civium una, communisque Religio, Claudianus Victorias Stiliconis celebrans, id Cæsaris jussu ab devictis factum ostendit: (5)

In Latios ritus transistis Alani.

Qui

(1) Lib. Machab. I. Cap. I.
(2) Casaubonian. pag. 96.
(3) Lib. Machab. II. Cap. IV.
(4) Livius Lib. I. Decad. 1.
(5) De IV. Honor. Consul.

Qui in Colonias immo mittebantur, Urbem novam veteris ad imaginem Patriæ, pro legibus, ac moribus Romanorum, ſimulare cogebantur, ſique fieri poſſet, ædificia, mœnia, Portas, Religionem abſque dubio, cæremonias, & Sacra; quod Veteres paſſim oſtendunt Auctores; (1) quod & ab aliorum Coloniis Populorum rite peractum; Sagunthini namque extremo Urbis die arma ſervabant adhuc,

Dulichia Proavis portata Zacyntho,

Et priſca advectos Rutulorum ex Urbe Penates,

Quos cum pretioſioribus ceteris diuturnæ pacis opibus infauſtum projecerunt in rogum. (2) Nunquam enim fuiſſent Coloniæ, veræ ſervitutis ſedes, ſi moribus antiquis Urbs nova non ſtetiſſet, ſi novi Cives vetere non vixiſſent more, & ritu, ſi veteris Patriæ dialecto, receptiſque uſi non fuiſſent Sacris, ac cæremoniis, quibus imperantium honos per Colonias, per ſocias, devictaſque Gentes tutior, ac venerabilior diffunderetur. Certe D. Auguſtinus Romano de Populo ait, operam ab ipſo datam eſſe, *ut imperioſa Civitas non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis Gentibus pacto Societatis imponeret*. (3) Quod verius ſua de Religione poſſet adfirmari. Hoc enim e Sacris Cybeles evidentiſſime adparet; nam quum Deæ Signum

K 4 quo-

(1) Virgil. Æneid. Lib. III. V. X.
Propert. Lib. IV.
(2) Sil. Ital. Lib. II.
(3) Lib. XIX. *De Civit. Dei*.

quotannis Capenam extra Portam ad lavacrum ducere soliti Quirites essent, (1) eundem subacti Romæ Populi concessere in morem, & ad similitudinem eorum, quæ in Urbe peragebantur omnium Principe, alibi, & in Coloniis maxime, Sacra illius Deæ facta, eodem simulato ritu, eodem simulato Almonis fluvio; (2) quod apud Ethnicos receptum esset, ut quæ in Sacris exhiberi reipsa non poterant, simularentur, ac perinde acciperentur, ac si talia suapte natura essent; (3) hoc enim & in Parentalibus factum; ad memoriam quippe Trojani Simoentis fluvii repræsentatus alter in funere Andromachæ ab Heleno in Epiro, & nuncupatus. (4) Qua igitur, inquient, ratione, externa in Urbe admittere voluissent Romani Palladia, & Sacra? Qua etiam sententia, regnandi artibus, ut est creditum, adversa, peregrina oppugnatis ab Oppidis voluissent educere Numina, novorumque, & exterorum societate Deûm, veteres, ac patrios dehonestare? Sed fortasse ea de re ne somniarunt quidem, aut casu, & inconsiderate semel id, aut bis fortasse factum, repugnantibus enumeratis Legibus.

Verum Leges ejusmodi avitæ illi consuetudini, ac cæremoniæ minus obstare is statim intel-

(1) Ovid. Fastor. IV.
Prudent. Hymn. X.
(2) S. Ambrof. Epist. ad Valent. adv. Symmach.
(3) Nannius Schol. in Epist. S. Ambros.
(4) Virgil. Lib. Æneid. III.

telliget, qui animadverterit, non sancire easdem peregrinis utcumque de Diis, sive earum sensum non de Diis ἁπλῶς intelligendum, sed de Sacris privata modo Popularium voluntate inductis. Jus enim rerum sacrarum, quod Veteres jus vocabant sacratum, (1) quodque ingentem Principibus majestatem, ac reverentiam conciliabat, summum esse referendum ad Imperium autumabant Quirites; more videlicet antiquissimas apud Gentes, vetustissimosque apud Reges recepto, ut qui Princeps esset, esset etiam Sacerdos. Enim vero jus hoc togatam apud Gentem haud penes alios reperitur fuisse, quam penes Reges, ac Imperatores, penesque summum illum, ac maximum Senatum. (2) Pontificum quippe tantum erat Sacra administrare, scireque, ut ait Livius, (3) *quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ Templa, sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur*. Ejectis Regibus apud Patres fuisse jus sacrorum ex infinitis constat Senatusconsultis; (4) timebant enim fortasse Patres, ne quis ritus, & Sacra induceret quieti Reipublicæ adversa, ejusque ordini, ac fœlicitati; aut ne hominum ope privatorum peregrinis Sacris inductis, Imperii unum caput biceps fieret; neve si aliquiquibus datum semel esset, ita superstitiosum adu-

(1) Virgil. Lib. Æneid. II.
(2) Corvin. *De Arcan. Rerumpubl.*
(3) Lib. I. Decad. 3.
(4) Cicer. Orat. *De Harusp. Respons.*

adulari posse Populum, arbiter ut Religionis fieret, ipse, qui eorum, quorum adulationes aure patula captat, esse tandem jocus, ludibrium, atque mancipium solet, adulantium in arbitrio exinde esset; quare partem hi aliquam juris Imperii usurpare pergerent, aliudque in Imperio facere non omnibus futurum fortassis utile Imperium. Mutata Republica, uti cetera, ita etiam quæ res ad divinas pertinebant, in se transtulere Cæsares; ideoque Tacitus: (1) *Nunc Deum munere summum Pontificem, summum hominum esse*; tametsi primis ab Imperatoribus, ut dissociabiles ceterum res componere viderentur, Principatum scilicet, & Libertatem; & quia arcanum novi status est imago antiqui, ea ratione, qua nonnulla adversus sententiam suam decerni passi sunt, quo simulachrum, & larva pristini status, quo externa Reipublicæ forma, quam solam intuetur plebs, aliquandiu conservaretur, ita quædam sacrati juris Senatui indulta; quare & factum sub Claudio Senatusconsultum, *viderent Pontifices, quæ retinenda, firmandaque Aruspicum*, (2) supplicationesque ob res domi, forisque aut gerendas, aut gestas, deque aut legitime peractis, aut pollutis aliquando Sacris a solo Senatu decretæ; præcipue vero publicæ Apotheoses, (3) quas promovere solum contenti Imperatores erant, qui sa-

tis

(1) Lib. Annal. III.
(2) Tacit. Lib. Annal. XI.
(3) Alex. Maffeus *Gemm. Illustr.* Part. III.

tis noverant, cum quibus ipsis res esset, suasque preces imperia esse, iis maxime, qui adeo in assentatione erant, ut Cæsarea etiam jumenta postulati consecrassent. Itaque non ex invisis peregrinis Sacris, aut ex Religionis Romanæ indole, latæ fuere a Quiritibus de cæremoniis externis aliquando abolendis Leges, verum potius ex arcano, & jure imperii, quod rerum facultatem sacrarum privatis adimebat, & supremæ asserebat Potestati, ut Religio in Republica esset, non in Religione Respublica; aut ne Religionis specie in ambitionem dilapsi, absque ulla probabili caussa mutationes in Republica inveherent; aliena enim a communibus habere Sacra, non ad Religionem, sed ad conjurationem pertinere Patres judicabant; puram, incorruptamque suam Religionem aut existimantes falso, aut existimari, & simulari exoptantes; mancam vero, aut fucis, & ceruscis infectam seditiosis modo videri dicentes posse, quibus videlicet ipsa libidini, aut inique agendi, aut dominandi Religio obtentui est.

Jam vero Dii in oppugnationibus Urbium Romam evocati nullam in Religione mutationem inducere poterant; erant enim delationes illæ, novæ veluti Apotheoses, recentium veluti Signorum consecrationes. Communes etiam erant aliquando qui evocabantur Dii; denique suprema ab Potestate in Urbem admissi, Romani evadebant, & proprii. Illis immo in Legibus, quibus peregrinis cæremoniis Populus interdice-

batur,

batur, non omnia peregina Sacra vetabantur; sed illa modo, quæ receptis cum Religionibus, cum receptis moribus componi haud viderentur posse, aut quæ novitatem saperent, aut immanitatem. Augustus *peregrinarum cæremoniarum, sicut veteres, aut præceptas reverentissime coluit: ita ceteras contemptui habuit. Namque Athenis initiatus, cum postea Romæ pro Tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret: & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & corona circumstantium, solus audiit disceptantes. At contra non modo in peragranda Ægypto paulo deflectere ad visendam Apim supersedit; sed & Cajum Nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit*, (1) Nempe, ut ait Grotius, (2) *quum nulla esset Religio alia tam ritibus dissona, quæ non in societatem admitteretur, ut Ægyptiaca, Phrygia, Græca, Thusca Sacra Romæ: soli Judæi passim deridiculo erant, ut ex Satyris, & Epigrammatibus apparet, interdum & relegabantur: Christiani vero propterea etiam atrocissimis afficiebantur suppliciis, cujus rei non alia potest reddi causa, quam quod hæ duæ sectæ unum Deum venerarentur, cujus honori recepti Dii adversabantur, non tam inter se, quam illius Æmuli*. Lucas revera, in Actis Apostolorum, Athenas Urbem vocat Κατείδωλον, refertam scilicet Idolis,

(1) Sueton. Vit. Aug.
(2) Lib. *De Verit. Relig. Christ.* IV.

lis, ſive Deorum Signis, quorum prope infinitam in illa Civitate copiam faſſi ſunt etiam Philoſtratus, (1) Pauſanias, Strabo, & Theophilactus, qui in medium producta Epigraphe Aræ Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ, καὶ ξένῳ, *Diis Aſiæ & Europæ, & Libyæ, Ignoto Deo & peregrino*, exiſtimat, Athenienſes admiſiſſe peregrinos totius Orbis terrarum Deos. Maximus Tyrius quoque, *Populus Athenienſis*, inquit, *alienos infert quotidie & novos Deos*. ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἕτερα καινὰ δαιμόνια ἐπεισφέρων. (2) Denique Heſychius, *Dii peregrini*, ſcribit, *coluntur ab Athenienſibus, quos recenſet Apollophanes in Cretenſibus*. Θεοὶ ξενικοὶ Ἀθηναίοις τιμῶνται, οὓς καταλέγει Ἀπολλοφάνης ἐν Κρῆσιν; & tamen, ut iisdem Apoſtolorum in Actibus docemur, tractus ad Areopagitas fuit Paullus, ceu novorum Numinum, ab Areopago ſcilicet non admiſſorum, Præco. Claudius, qui Judæos aſſidue tumultuantes Roma expulit, qui Druydarum Religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum Civibus ſub Auguſto interdictam penitus abolevit, e diverſo Sacra Eleuſinia etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt. (3) De Adriano quidem Cæſare ſcribit in ejus Vita Ælius Spartianus: *Sacra Romana diligentiſſime curavit, peregrina contempſit*. Verum, hæc pugnare animadvertit hunc ad locum Salmaſius, cum

(1) Lib. IV. Vit. Apollon. Cap. 6.
(2) Sermon. XXXII.
(3) Sueton. Vit. Claud.

cum iis, quæ in Vita ejusdem Cæsaris habet Aurelius Victor, nempe: *pace ad Orientem composita Romam regreditur. Ibi Græcorum more, seu Pompilii Numæ; cæremonias, leges, Gymnasia, doctoresque curare occœpit, adeo quidem ut ludum etiam ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret, atque initia Cereris, Liberæque, quæ Eleusina dicuntur, Atheniensium more, Romæ percoleret.* Per peregrina igitur sacra, intelligenda esse Ægyptiaca consequitur idem Salmasius, quæ revera multi Principes contemserunt: vel fortasse in Cereris sacrorum ritu aliquid mutasse Adrianum, & ut more magis Attico celebrarentur, curasse; quum revera ad Valentinianum usque & Theodosium manserint Eleusina, sub quibus modo deserta & abolita. Julius Capitolinus, in Vita Marci Antonini Philosophi; *tantus autem*, inquit, *terror belli Marcommanici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit.* Scribit Ælius Lampridius, de Commodo Antonino agens: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret. Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis. Isiacos vero pineis usque ad perniciem, pectus tundere cogebat. Quum Anubim portaret, capita Isiacorum graviter obtunderet ore simulacri.* Quare Spartianus de Caracalla agens, *in quo quidem*, inquit, *mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubim*

por-

portaret, *& pausas ederet*. Quod repetit in Vita Pescenii Nigri. Lampridius de M. Severo scribit: *Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis & deliacis omnibus mysticis*. Ejusmodi vero haud licentiæ & libertati imperantium tribuenda, quum obtinerent apud Romanos in libera etiam Civitate. Arnobius regerens Objectioni Ethnicorum, de novitate, ut ajebant, Christianæ Religionis; *Quid?* inquiebat, (1) *Vos Ægyptiaca Numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem & Gabinium Coss. in numerum vestrorum retulistis Deorum? Quid Phrygiam Matrem, cujus esse conditor indicatur vel Midas, vel Dardanus, non cum Hannibal Pœnus res Italas raperet, & terrarum exposceret principatum, & nosse & scire cœpistis, & memorabili Religione sancire? Sacra Cereris Matris, non quod vobis incognita essent, adscita paulo ante, obtentum est ut Græca dicantur, novitatem ipsam testante cognomine? Non Doctorum in literis continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire? Ex quo apparet, & liquidum est, & hunc vobis fuisse incognitum; post autem aliquando cœpisse esse notum*. Et severiores quidem aliqui, inter Romanos, moderari Sacra saltem illa voluissent, quæ mores secum ferrent ab honestate alienos; qua de re Cicero in suis Legibus: *Novos vero Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus*

(1) Lib. II. adv. Gent.

mus Poeta veteris Comœdiæ vexat , ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii peregrini judicati , e civitate ejiciantur. (1) Rursusque : *Præter Idææ Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito ;* quam ita Legem explicat : *Stipem sustulimus , nisi eam , quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus ; implet enim superstitione animos , & exhaurit domos .* Qua in re adlusum volunt Interpretes ad morem , ut ajunt, Sacerdotum Magnæ Matris , ut mendicando stipem vel panem quærerent . Boni sane Interpretes, qui nil revera demum docent adlusum arbitror ad id , de quo testatur Minucius Felix in Octavio : *Mendicantes vicatim Deos ducunt .* Nempe signum magnæ Matris vicatim deferentes , aurum colligebant ejus celebrandis festis necessarium ; quod, ætate nostra, quum de Tutelari agitur , fieri ipsemet in Samnio vidi , Theate scilicet , ubi Fidicines pone vexillum Divi Præsidis instrumenta pulsantes , pios vicatim cient ad pecunias in proximam celebritatem erogandas . Ceterum, sibi Musisque canebat tunc Tullius ; Leges, ut ut Academicus , efformans Reipublicæ sua existenti in mente , & prope dixerim, Platonicæ ; quum , illa præsertim tempestate , proclives maxime in peregrinas fuerint Romani cæremonias, uti superiore tempore in peregrina Numina ; tum scilicet quum imperium vehementius propagare satagerunt . Peregri-

(1) Lib. de Legib. II.

regrinis autem omnibus ſacris Populum interdicere, quid aliud fuiſſet, quam ſuarummet Romanos oblivifci artium, & ſpem omnem præcidere acquirendi terrarum Imperii? Exterorum namque Sacrorum odium ſervare quidem diu aliquod Imperium poteſt, aſt illud extendere, & propagare non poteſt; ut enim ceteri, qui Conquiſitionis Spiritu acti aliquando ſunt, ita & Romani credidere facile, nihil ad reliquas acquirendas ſibi Gentes pervium eſſe magis permiſſione Sacrorum omnium, quorum ex concordi, uti autumabant, & invicem coeunte diſcordia, omnium animis ſua libertate contentis, Populi pax, & erga Imperantes amor, & honor, & decus Patriæ, & gloria, & fortitudo Gentis, & ceterorum per confugia, per commercia Populorum opes, & divitiæ, & aurum, & accederet beata pleno copia cornu.

Reapſe quod hiſce in principiis Romani vel naſcentis Reipublicæ tempore verſarentur, ceterarum Deos Gentium, & ritus, ac cæremonias nunquam non admiſere. Prima ſiquidem infantili Urbis ætate,

Exul ab Arcadia Latios Evander in agros
Venerat: impoſitos attuleratque Deos. (1)

Præter ea vero, quæ naſcentem in Urbem

Tranſtulit Evander ſylveſtria Numina ſecum,(2)

L præ-

(1) Ovid. Lib. Faſtor. IV.
(2) Lib. Faſtor. II.

præter ea, quæ cum suis olim fortasse Sabinis transtulerat Tatius, (1) fuere demum apud Romanos, ut Penates etiam Phrygios cum Bocharto omitterem, atque Cluverio, Thracia, & Cretica Sacra, Argiva, & Taurica, Samia, & Ægyptia portenta; (2) quare Claudianus: (3)

Arcanas huc Vesta faces, huc Orgia secum
Transtulit, & Phrygios Genitrix turrita Leones,
Huc depulsurus morbos Epidaurius hospes
Raptavit placido tractu, vectumque per undas
Insula Pæonium texit Tiberina Draconem.

Stupebant Christiani nominis Patres super infinito Deorum, quos Romani colebant, numero; nec enim suis poterant in Scriptis *per singulos decurrere tot, ac tantos, novitios, veteres, Barbaros, Græcos, Servos, Romanos, Peregrinos, Captivos, adoptivos, proprios, Communes, Masculos, Fœminas, Rusticos, Urbanos, Nauticos, Militares*; (4) quare & de Quiritibus Prudentius: (5)

Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Adsciscendo Genios Majoribus incompertos
Seque peregrina sub Religione dicasse?
Nec ritus servasse suos? Quodcumque sacrorum est,
Exu-

(1) Rollin. Lib. Histor. Roman. I. Cap. 2.
(2) Auctor Lib. *De Idolol. Vanit.* inter Oper. Cyprian.
(3) Lib. III. *De Laudib. Stilicon.*
(4) Tertullian. Apologetic. Cap. X.
(5) Lib. adv. Symmach. II.

Exulat, æternumque inimicam venit in Urbem.

Fateor equidem Senatum Isidis, & Serapidis Fana, quæ privatim nonnulli exstruxerant, demoliri jussisse; (1) apud eundem tamen sententia demum obtinuit, ut Numina illa publice tolerentur; (2) Pisone scilicet, atque Gabinio Coss., (3) Heinc Lucanus ingratam adversus Ægyptum: (4)

Nos in Templa tuam Romana accepimus Isim,
Semideosque Canes, & sistra jubentia luctus,
Et quem Tu plangens hominem testaris Osirim.

Quamvis etiam Q. Fabio Maximo, & T. Sempronio Gracchо Coss. externis cæremoniis privata aliquorum voluntate, ex plebe in Urbem coeunte, exque superstitione, ac terrore receptis Populus interdiceretur; adnotum satis tamen Q. Fabium Pictorem Delphos a Senatu Legatum olim missum ad Religiones exteras consulendas; (5) exque Senatusconsulto, Apollini, Græco fuisse ritu, in Urbe litatum; (6) uti & Cereri; qua tamen in re, animadvertenda maxime necessaria Tullii verba, tum quum ostendebat fœderatos populos potuisse Civitate donari, & revera fuisse donatos. *Cognoscite nunc*, inquiebat, (7) *judicium Senatus*, *quod semper*

 est

(1) Livius Lib. II. Decad. 4.
(2) Dio Lib. XXXIX.
(3) Arnob. Lib. adv. Gent.
(4) Lib. Pharsal. VIII.
(5) Livius Lib. VII. Decad. 5.
(6) Macrob. Lib. Saturnal. I.
(7) Orat. pro L. C. Balbo.

est judicio populi comprobatum. Sacra Cereris, Judices, summa Majores nostri Religione confici cæremoniaque voluerunt: quæ cum essent assumpta de Græcia, & per græcas semper curata sunt Sacerdotes, & Græca omnia nominata: sed cum illam, quæ Græcum illud sacrum monstraret & faceret, ex Græcia deligerent: tamen sacra pro Civibus Civem facere voluerunt, ut Deos immortales scientia peregrina & externa, mente domestica & civili precarentur. Has Sacerdotes video fere aut Neapolitanas aut Velienses fuisse, fœderatarum sine dubio Civitatum. Hæc omnia probe si perpendimus, Peregrinis Sacris non scita Pontificum, non Deorum placita obstasse dignoscemus, sed rationem, uti dicebam, retinendi modo juris Imperii; ne videlicet quod Patrum, quod summæ Potestatis erat in Religionibus decernendis, usurpare Populus pertentaret; illisque in Legibus, quibus peregrinis cæremoniis interdicebantur Quirites, non Religionis principia spectanda, sed dominationis, qua ita postulante, uti peregrinæ leges, ita arcebantur modo, modo accersebantur, quærebanturque, & Romam deferebantur ceterarum Gentium Numina, & Sacra; Evocationis iccirco, in qua publica, non privata auctoritate peragebantur omnia, nullomodo Leges ejusmodi dicimus obversatas.

Vehementiorem ingerere viderentur dubitationis ansam nonnulla Romanorum facta, quibus perpetuum haud fuisse dicere quis posset devictorum Simulacra Numinum Romam accersen-

cendi morem. Fama siquidem erat, Marcelli gloriam apud Populum fuisse majorem, quod Syracusanam post victoriam pleraque, & pulcherrima Signa Deûm, & donaria Sacra Syracusis auferens, quæ & triumpho suo splendori, & Romæ ornamento essent, Urbem decorasset; apud Senatum vero acceptius fuisse Fabii Maximi nomen, quod Tarento capto tale nihil abstulisset, sed pecunia, ac divitiis egestis, relinqui suis Sedibus Deorum Simulacra jussisset, addito notissimo effato: *Relinquamus Tarentinis suos Deos iratos*. (1)

Locris etiam receptis, quum sacram Proserpinæ pecuniam rapuissent Milites, jussere Romani Patres, eam, quanta quanta ex thesauris Deæ sublata esset, conquiri, duplamque in eisdem reponi, Sacrum piaculare fieri. *Prætor*, inquit Historicus, (2) *Legatique Locros profecti, primam, sicuti mandatum erat, Religionis curam habuere; omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea, quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, & piaculare sacrum fecerunt*.

Ejusmodi tamen facta examussim perpensa receptæ haud officiunt Tutelarium Numinum, hostilium in Oppugnationibus Urbium, Evocationi. Ut enim Tarentinis de Diis primum di-

 cam,

(1) Livius Lib. VII. Decad. 3.
(2) Idem Lib. IX. Decad. 3.

cam, jure dubitarem, an eos suapte sponte Fabius Maximus suis reliquerit in Sedibus, obstante scilicet Signorum mole, quæ transferri ea vetabat posse. Hoc e Plinio discimus scribente: (1) *Talis est* (Colosseæ videlicet molis) *& Tarenti factus* (Juppiter) *a Lysippo XL. cubitorum. Mirum in eo quod manus, ut ferunt, mobilis ea ratio libramenti est, ut nullis convellatur procellis. Id siquidem pervidisse & Artifex dicitur modico intervallo. Unde maxime opus erat flatum frangi opposita columna. Itaque propter magnitudinem, difficultatemque moliendi non attigit eum Fabianus Verrucosus* (ita appellabatur Fabius Maximus) *cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret.*

Sed ut ut moles non obstitisset, cur unius ex dicto militariter prolato receptum adversus morem argumentemur? Num Aruspicium in bello Romanos non fecisse Exercitus dicemus, quod Auguria Ap. Claudius, & Flaminius contemsere? Fortasse ad relinquendos suos Tarentinis Deos compellebat Fabium prudens agendi ratio. Exactum vix Syracusanum erat bellum, quo significari non potest satis, quantum ex ereptis belli jure Deorum Signis irarum in Siculis, quantas in Senatu turbas moverit Marcellus. Dato Legatis Syracusarum Senatu, visæ lamentantium lachrymæ, exauditæque inexorabilis indignationis voces, quod præter mœnia,

(1) Lib. XXXIV. Cap. 7.

nia, & tecta exhausta Urbis, refracta etiam essent Delubra Deùm, Diis ipsis, ornamentisque eorum ablatis, sacri nihil relictum in Urbe fuisse. (1) Oportuit Consulem ea super re Orationem ad Patres pro se habere, nimiam ejusdem aversatos severitatem; tametsi ne necessarium hominem, haud quidem in tempore, a Republica averterent, quæ ipse bellum gerens, victorque egisset, rata habenda esse decrevissent, curæ tamen Senatui Syracusarum rem fore dicerent, mandarentque Levino Cos. quoad sine jactura Reipublicæ fieri posset, fortunæ illius Urbis consuleret. Ad leniendos autem aliqua ratione Siculorum animos, Patrum decreto, permutatio Provinciarum eo anno inter Coss. facta est. Marcellus, cui cum Imperio Sicilia demandata erat, ad Brutios adversus Annibalem missus. Hæc uti recentis nimium erant memoriæ, animo iccirco prudentis Fabiis obversabantur. Itaque sequenti anno Tarentum quum recepisset, atque a cæde ad diripiendam Urbem discursum esset, trigintaque millia servilium capitum essent capta, ingens argenti vis facti, signatique auri LXXXIII. millia pondo, Signa, tabulæque, prope ut Syracusarum ornamentum æquarent, Deorum tamen aliquibus Simulacris abstinuit, (quid enim divitiis omnibus, pecuniis, atque donariis egestis, publicum Romanorum, apud quos jus Imperii valebat, inania transmitteban-

 tur,

(1) Livius Lib. VI. Decad. 3.

tur, deperdebat Ærarium, duobus ex omiſſis infandæ magnitudinis Signis, neſcio quo habitu pugnantium in modum efformatis?) Deoſque ſuos Tarentinis relinqui juſſit; qua videlicet ratione magni, & non crudelis animi famam apud Senatum, & apud victos, Evocatorum Deorum (quos captos, quos appellaverat iratos) ſuos apud milites Religionem, immortalem apud omnes, etiamſi aſtu magis, quam virtute capta Urbs illa eſſet, gloriam conſequeretur.

Haud ſecus vero Locrenſium de pecunia definiendum. Quippe quod pecuniam illam milites abſtraxiſſent, ex belli jure, ex Evocatione peracta, rebuſque ſacris, prophanis effectis, ex Tutelaris diſceſſu Deæ factum arbitrati ſunt: quod eandem Locrenſibus redditam voluerint Patres σοφόν φάρμακον fuit, quod recte agendi rationi autumo tribuendum. Hoc Reipublicæ tunc temporis ex conſpectu, ex Romanarum rerum facie dignoſcitur apertiſſime. Agebat adhuc inter Brutios Annibal, cogitabantque Romani vertere bellum in Africam; itaque quum nec Hercules ipſe contra duos, aliis omnibus levari in præſentia bellis, & litibus volebant. Locrenſes etiam publico nunquam conſilio ad Annibalem defecerant, ſed vi potius ei ſubacti; eorumque non voluntate modo, ſed opera etiam, atque virtute Locros Romani receperant: Legatus adhuc tamen barbara nimium, & inhumana agendi ratione ſe adverſus eos geſſerat, unde

tot,

tot, ac talia pati meriti minime viderentur. Ea quidem natura, ſeu potius neceſſitas eſt ſummi, & vaſti Imperii, ut nonnumquam permagni intereſſe videatur privata ab æquitate recedere. Verum tamen haud longe deflectendum eſt, ne res violentum demum ad ſtatum inexpectato deveniant. Eſt enim dominatio medium quoddam civile inter Imperium, atque tyrannidem, quæ tamen altero ſi omiſſo ad poſtremam hanc nimium vergit, non amplius dominatio, non jus, non Imperium, non limitatio, aut communis exceptio juris, ſed ejusdem tranſgreſſio, ſive παρέκβασις quædam, ſumma & extrema injuſtitia eſt. Devictorum autem res, & opes aliqua niſi cum honeſtatis, ac humanitatis ſpecie auferas, flagitium dominationis eſt, non arcanum. Intempeſtiva demum fuerat tanta eo temporis Pleminii ſeveritas, neque aliud efficere profecto poterat, quam Lucanos efferare, Brutios, ceteroſque, inter quos adhuc Annibal, & Pœnorum arma verſabantur, Populos. Si enim adverſus amicos, ſi adverſus Romani Populi ſocios infanda adeo acta a Milite togato erant, ecquid inde timendum illis fuiſſet, qui ſe malo adverſus Rempublicam animo fortunæ Carthaginienſium addiderant? Accedebant hiſce Locrenſium preces, lachrymæ, querelæ, vetuſque malum, utriuſque ſcilicet ſuperſtitio Gentis, qua vel Romani Patres jure formidare videbantur, ne tantum ſacrilegium, uti olim adverſus Pyrrhum, ita adverſus novos Raptores vindica-

dicare Dea pergeret; ideoque Africæ conquirendæ spe frustrarentur. Jamque adversus Milites ira Deæ desæviebat, quos feralibus cœperat agitare furiis, adeo ut inter se Signis collatis concurrentes seditionem, tumultus, vulnera, mortes, & eo tristiora mala facerent, quo non prius desitura credebantur, quam in thesauris Deæ reposita pecunia. Horum momenta omnium habes e luculentissima descriptione Livii: *Decem Legati Locrensium*, inquit Historicus, (1) *obsiti squallore, & sordibus, in comitio sedentibus Consulibus, velamenta supplicum, ramos oleæ (ut Græcis mos est) porrigentes, ante Tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Quærentibus Consulibus, Locrenses se dixerunt esse ea passos a Q. Pleminio Legato, Romanisque Militibus, quæ pati ne Carthaginienses quidem velit Populus Romanus. Orare, ut sibi Patres adeundi, deplorandique ærumnas suas potestatem facerent. Senatu dato, maximus natu ex iis, Scio, inquit, quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ, Patres Conscripti, plurimum in eo momenti esse, si probe sciatis, & quomodo proditi Locri Annibali sint, & quomodo pulso Annibalis præsidio restituti in ditionem vestram, quippe si & culpa defectionis procul a publico consilio absit, & reditum in vestram ditionem appareat, non voluntate solum, sed ope etiam, ac virtute nostra, magis indignemini bonis ac fidelibus Sociis tam atroces,*

(1) Lib. IX. Dec. 3.

ces , atque indignas injurias ab Legato vestro , militibusque fieri . Sed ego caussam utriusque defe-ctionis nostræ in alind tempus differendam arbitror esse , duarum rerum gratia : unius , ut coram P. Scipione , qui Locros recepit , quippe omnium nobis recte perperamque factorum est testis , agatur : alterius , quod qualescumque sumus ; tamen hæc , quæ passi sumus , pati non debuimus . Non possumus dissimulare , Patres Conscripti , nos cum præsidium Punicum in arce nostra haberemus ; multa fœda , indigna , & a Præfecto Præsidii Amilcare , & Numidis , Afrisque passos esse . Sed quid illa sunt collata cum iis ; quæ hodie patimur ? Cum bona venia , quæso , audiatis , Patres Conscripti , id quod invitus eloquar . In discrimine est nunc humanum omne Genus , utrum Vos , an Carthaginienses principes Orbis terrarum videat . Sed si ex iis , quæ Locrenses aut ab illis passi sumus , aut a vestro Præsidio nunc cum maxime patimur , æstimandum Romanum , ac Punicum Imperium sit , nemo non illos sibi ; quam Vos Dominos præoptet . Et tamen videte , quemadmodum Locrenses in vos animati sint . Cum a Carthaginiensibus injurias multo minores acciperemus , ad vestrum Imperatorem confugimus ; cum a vestro Præsidio plusquam hostilia patiamur ; nusquam alio quam ad Vos querelas detulimus . Aut Vos respicietis perditas res nostras , Patres Conscripti , aut ne ab Diis quidem immortalibus quod precemur , quicquam superest . Q. Pleminius Legatus missus est cum Præsidio ad recuperandos a Carthaginiensibus Locros , & cum eo-

dem ibi relictus est Præsidio. In hoc Legato vestro (dant enim animum ad loquendum libere ultimæ miseriæ) nec hominis quicquam est, Patres Conscripti, præter figuram, & speciem, neque Romani Civis, præter habitum, & sonum latinæ linguæ. Pestis, ac bellua immanis, quale fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigantium circumsedisse fabulæ ferunt. Ac si scelus, libidinem, & avaritiam solus ipse exercere in Socios vestros satis haberet, unam profundam quidem voraginem tamen patientia nostra expleremus. Nunc omnes Centuriones, Militesque vestros (adeo in promiscuo licentiam, atque improbitatem esse voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt: constuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur Urbs nostra, quotidie diripitur: dies, noctesque omnia passim mulierum, puerorumque qui rapiuntur, atque asportantur, ploratibus sonant.... Omnia, quæ captæ Urbes patiuntur, passi sumus, & nunc quammaxime patimur, Patres Conscripti. Omnia, quæ crudelissimi, atque importunissimi Tyranni scelera in oppressos Cives edunt, Pleminius in Nos, Liberosque nostros, & Conjuges edidit. Unum est, de quo nominatim, & nos queri Religio infixa animis cogat, & vos audire, & exsolvere Rempublicam vestram Religione, si ita vobis videbitur, velimus, Patres Conscripti. Vidimus enim cum quanta cæremonia non vestros solum colatis Deos, sed etiam externos excipiatis. Fanum est apud nos

Pro-

Proserpinæ, de cujus sanctitate Templi credo aliquam famam ad Vos pervenisse Pyrrhi bello: qui cum ex Sicilia rediens Locros classe prætervéheretur, inter alia fœda; quæ propter fidem nostram erga Vos in Civitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem spoliavit: atque ita pecunia in naves imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo evenit, Patres Conscripti? Classis postero die fœdissima tempestate lacerata, omnesque naves, quæ sacram pecuniam habebant, in littora nostra ejectæ sunt. Qua tanta clade edoctus tandem Deos esse superbissimus Rex, pecuniam omnem inquisitam in thesauro Proserpinæ referri jussit. Nec tamen illi umquam prospere quicquam evenit: pulsusque Italia, ignobili, atque inhonesta morte, temere nocte ingressus Argos, occubuit. Hæc cum audisset Legatus vester, Tribunique militum, & mille alia, quæ non augendæ Religionis caussa, sed præsentis Deæ numine sæpe comperta nobis, Majoribusque nostris, referebantur, ausi sunt nihilominus sacrilegas admovere manus intactis illis thesauris: & nefanda præda seipsos, ac domos contaminare suas, & milites vestros: quibus per vos, fidemque vestram, Patres Conscripti, priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quicquam rei gesseritis: ne quod piaculi commiserunt, non suo solum sanguine, sed etiam publica clade luant. Quamquam ne nunc quidem, Patres Conscripti, aut in Ducibus, aut in Militibus vestris cessat ira Deæ. Aliquoties jam inter se signis collatis concurre-

currerunt.... *Has Dea pœnas a Templi sui spoliatoribus habet: nec ante desinet omnibus eos agitare furiis, quam reposita sacra pecunia in thesauris fuerit.* Prolixo hocce testimonio tædium adferre coactus equidem fui, ne re in historica conjectationibus modo viderer indulsisse nimis. Non igitur ob antiquatum tunc temporis; aut fortasse numquam obtinentem Evocationis Tutelarium Numinum, in hostilium Expugnationibus Urbium, apud Quirites morem sacra Locrensium pecunia Præsidi Deæ reddita ab Senatu est; verum potius ex specialissima loci Religione, neve aliquo premeretur gregarius miles, qui cum Pleminio non fuerat, pavore, ob sæve adeo sua solitam vindicare Deam; ex miseratione quoque dure nimium, ac immaniter habitæ Urbis, Romani Populi sociæ; ex militaris disciplinæ legibus, quæ raptam ex Evocatorum Templis Numinum pecuniam, aurumque ex Signis Deûm conlectum haud Militibus statim distribuendum, sed Quæstoribus dandum, pro moribus Romanorum, publicumque ad Ærarium decreverant deferendum. Hujus e contemtu legis actus olim in exilium fuerat Coriolanus; (1) eamque prudentioribus Imperatoribus violare nefas; diruta siquidem Carthagine aliquot per dies concessa ab Scipione militi præda est, exceptis auro, argentoque, Signis Deûm Sacris, Templorum ornamentis, ac dona-

(1) Livius Lib. II. Decad. I.

nariis; (1) ex arcano demum dominationis ità erga Locrenses prudenter a Patribus actum; quod videlicet adhuc agente tanto in Italia hoste, summo uti jure e Republica non esse ducerent Victores, temporis, ac utilitatis magis quam majestatis, & consuetudinum habita ratione.

Postremum esto Objectum ex Verrinis Tullii petitum, in quibus totus est Orator, ut C. Verri invidiam, odium, irasque conflare valeat Patrum, quod Asiæ, Pamphiliæ, & Siciliæ fana depeculatus esset, ædesque sacras depopulatus, quod Deorum Simulacra religiosissimis e Delubris sustulisset, quod Religiones omnes, cæremoniasque Sacrorum illorum violasset; nullum Signum, ornamentum nullum nudatis, spoliatisque Templis reliquisset; quantumque invenerat pecuniarum, & auri detraxisset, abstulisset, rapuisset. Tantus autem horror, quem ex ejuscemodi agendi ratione Verris concepisse se simulat, aut aliis satagit ingerere Orator, hominis diceretur esse ea in Urbe instituti, cujus a Civibus universa, quæ ex Evocationis legibus evenire solere scripsimus, aut raro, aut numquam fieri potuisse viderentur.

Verum e diverso maximum ad Evocationis cæremoniam, ejusque mores, ritus, & leges, ceteraque, quæ ad ipsam consequebantur apertissime confirmanda ipsis ex Verrinis elicitur argumentum. Non enim belli jure, non peracta Evo-

(1) Appian. *De Bell. Punic.*

Evocationis cæremonia, non ante extremam hostilium expugnationem Urbium, sed deliciarum caussa, adque exornandas suas, & amicorum Ædes fana spoliavit, Signa Deûm, & ornamenta Sacra rapuit Verres. Auctis enim nimium Romanorum opibus Civium, corruptisque eorum extremo Reipublicæ tempore moribus, ita Græcarum rerum; præcipue vero Signorum, quæ paullo magis affabre, atque artificio facta aliquo viderentur, studio exardescebant Quirites, ut in Græciæ, atque Asiæ Provincias cum imperio profecti universa quæ possent quacumque de caussa, quocumque emerent sub obtentu, Romamque transferrent. Heinc Pompeii ut temperantiam extolleret Cicero, *Postremo*, inquiebat, (1) *Signa, & Tabulas, ceteraque ornamenta Græcorum Oppidorum, quæ ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit*. Effrenem hanc Romanorum Græca erga Simulacra cupiditatem optime explicat Gulielmus Budæus. *Urbem*, inquit, (2) *Romam totius prope Orbis spoliis locupletem fuisse, historica fide planum fieri potest, iis quidem certe qui Latinos, Græcosque Scriptores rerum gestarum lectitarint: non modo enim Duces, Imperatoresque Romani vi aperta, & bellica in hostico, sed etiam Proconsules, Provinciarumque Præsides in pacato furtis, rapinisque, expilationibus grassabantur, qua sacrum,*

(1) Verrin. IV.
(2) Lib. II. *De Asse & Partib. ejus*.

crum, qua prophanum domum sua quisque avertentes. *Inde illud Satyrographi Poetæ:*

Inde Dolabella est, atque inde Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia, & plures de pace triumphos.

Equidem, quod ad me attinet, subdit, *cum hæc, quæ in Opusculum congessi, animo reputarem, ea mihi species Urbis Romæ animo obversabatur, quasi arcem quandam Expilatorum Orbis terrarum viderem, & veluti commune Gentium omnium Cimeliarchium (ut verbo Justiniani Principis utar) idest sanctius Conditorium rerum toto Orbe eximiarum*. Totus igitur erat in Verrinis Oratoris σκοπὸς, falsam esse ut ostenderet Hortensii defensionem dicentis, empta a Verre, non ablata, aut per vim rapta fuisse illa Signa: primum quod Romani populi Magistratibus sua nihil in Provincia mercari liceret: dein quod Deorum illa Simulacra eo per potestatem abstulisset Verres pretio, ut nihilo turpius facturus fuisset, eadem si palam, ac per vim rapuisset. Latissimam immo mentionem facit Orator Deorum de Signis a Victoribus captis, raptis, Romamque delatis; maximumque ostendit esse discrimen ea inter, quæ tot Imperatores jure fecerant belli, eaque, quorum agendorum potestate carebat Verres. *Quas enim*, inquiebat, (1) *Sociorum, atque Amicorum Urbes adisti Legationis jure, si in eas vi cum Exercitu, imperioque invasisses, tamen opinor*,

(1) Action. II. in Verr.

nor, quæ Signa, & ornamenta ex Urbibus sustulisses, hæc non tam in tuam domum, neque in suburbana Amicorum, sed Romam in publicum deportares. Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas, Urbem ornatissimam cepit, Antiochumque Regem potentissimum vicit? Quid de Flaminio, qui Regem Philippum, ac Macedoniam subegit? Quid de Paullo, qui Regem Persen vi, ac virtute superavit? Quid de L. Mummio, qui Urbem pulcherrimam, atque ornatissimam Corinthum, plenissimam rerum omnium sustulit, Urbesque Achajæ, Bœotiæque multas sub imperium Populi Romani, ditionemque subjunxit? quarum domus cum honore, ac virtute florerent, Signis, & tabulis pictis erant vacuæ. At vero Urbem totam, Templa deorum, omnesque Italiæ partes illorum donis, ac monumentis exornatas videmus: P. Servilius quæ Signa, atque ornamenta ex Urbe hostium vi, ac virtute capta, belli lege, atque imperatorio jure sustulit, ea Populo Romano apportavit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit. Non solum numerum Signorum, sed etiam uniuscujusque magnitudinem, figuram, statum litteris definiri vides. Hoc autem e testimonio Tutelarium Numinum in Oppugnationibus Urbium Evocationem non modo, verum cetera etiam, quæ apud Romanos Evocatione peracta evenire consuevisse definivimus, vehementer a Tullio legimus confirmata.

Sacrilegii igitur in exspoliatione Templorum postulati illi modo erant, qui ex Religionum con-


contemtu factum id abs se dicteriis etiam ostendebant, uti Dionysius Siciliæ Tyrannus, victoria adversus Græcos relata; (1) aut qui jure ipso caruere belli, uti Dolabella, & Verres, (2) uti P. Clodius, qui vastavit Pessinuntem, (3) uti Pedius Blæsus Senatu sub Nerone motus, *accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo thesaurum Æsculapii, dilectumque militarem pretio, & ambitione corruptum*. (4) Immo extra bellum, neque Religionis obtentu, quæ sacra in Templis erant, loco movere permissum. Ædem Equestris Fortunæ, quam in Hispania bello Celtiberico voverat, faciebat enixo studio Q. Fulvius Flaccus Censor, ne ullum Romæ amplius, nullum magnificentius esset Templum. Magnum ornamentum se Templo ratus adjecturum, si tegulæ marmoreæ essent, profectus in Brutios Ædem Laciniæ Junonis dimidiam ad partem detexit, satis id fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Tegulæ asportatæ sunt. Verum iisdem vix expositis fremitus in Curia ortus, resque ab Coss. ad Senatum delata. *Ut vero*, inquit Historicus, (5) *accersitus in Curiam Censor venit, multo infestius singuli, universique præsentem lacerare. Templum augustissimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Annibal violassent*, vio-

(1) Lactant. Lib. *Divin. Instit.* II.
(2) Cicer. in Verrin.
(3) Idem Orat. *De Harusp. Respons.*
(4) Tacit. Lib. Annal. XIV.
(5) Livius Lib. II. Decad. 5.

violare parum habuisse...... tamquam non iidem ubique Dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi, exornandique.... Relatione facta, in unam omnes sententiam ierunt: ut hæ tegulæ reportandæ in Templum locarentur, piaculariaque Junoni fierent. Adeo verum est tunc solum, pro legibus Romanorum, cripi Sacra, & transferri fas fuisse, quum, alio se receptis Evocationis ope Diis, desacrata omnia jure credi potuissent. Sed hac de cæremonia jam satis; operæ enim pretium arbitror ad altiora, adque utiliora mentem evocare, quod ut facere Lector etiam possit,

Diique, Deæque omnes, Tutelaresque Locorum
E calamo, ut quondam excantata e Sede, recedant.

FINIS.



Hu-

Hucusque edita Auctoris Opera.

Patriarchæ Josephi Ægypti olim Proregis Religio a criminationibus Basnagii vindicata. Neapoli excudebat Felix Carolus Mosca 1738. in 8. iterum, Tomo XXIII. Collectionis Calogerianæ pag. 135. Venetiis apud Simonem Occhi 1741. iterum Brixiæ apud Johannem Baptistam Bossinum 1747. in 8.

De Inopia veterum Monumentorum pro Copia Martyrum dignoscenda adversus Doduvellum Dissertatio. Mediolani apud Josephum Richinum Malatestam. 1740. in 8.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis Libri III. Mediolani, apud Josephum Richinum Malatestam. 1742. in 4.

De Martyribus sine Sanguine altera adversus Doduvellum Dissertatio. Mediolani, apud Josephum Richinum Malatestam. 1744. in 8.

De Forensi Judæorum Buccina Commentarius. Brixiæ excudebat Johannes Maria Rizzardi. 1745. in 4.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Dissertatio de Loco Johannis, aliter aque habet Vulgata, a nonnullis Patribus lecto. Brixiæ apud Johannem Mariam Rizzardum. 1746. in 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. P. M. Libri II. Veronæ per Augustinum Carattoni. 1747. in 4.

De futuro Seculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito adversus Johannem Clericum Commentarius. Mediolani in Regia Curia. 1748. in 8.

De Diptycho Quiriniano Epistola ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum Tomo XL. Collectionis Calogerianæ, pag. 187.

De Diptycho Quiriniano Epistola Secunda ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum. Brixiæ apud Jacobum Tur-

Turlinum, 1749. *in* 4. *iterum*, *Tomo XLII. Collectionis Calogerianæ*, *pag.* 237.

De Tarsensi Hercule in viridi Jaspide insculpto ad Cl. V. Albertum Mazzolenum Abbatem Casinensem Epistola. *Brixiæ apud Jacobum Turlinum*. 1749. *in* 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrariensi, dum publici Sacræ Theologiæ Professoris munus auspicaretur, *anno* MDCCL. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*, 1750. *in* 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrariensi anno MDCCLI. *Ferrariæ apud Josephum Barberium*. 1751. *in* 8.

De Baptismate in Spiritu Sancto & Igni Commentarius Sacro-Philologico-Criticus, *cui accedunt Orationes duæ in Athenæo Ferrariensi habitæ*. *Mediolani in Regia Curia* 1752. *in* 4.

Oratio in Athenæo Ferrariensi habita, *anno* MDCCLII. *Venetiis apud Simonem Occhi*. 1752. *in* 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber Singularis. *Brixiæ ex Typographia Johannis Mariæ Rizzardi*, 1743. *in* 8. *iterum*, *Venetiis apud Petrum Valvasensem* 1753.

SUB PRÆLO.

De Profectione Alexandri Magni Hierosolyma adversus Vandalæum Dissertatio.

NOI

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del *P. F. Paolo Tomaso Manuelli* Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *De Diis multarum Gentium Romam evocatis, sive de obtinente olim apud Romanos Deorum Presidium in oppugnationibus Urbium Evocatione Liber Singularis*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza a *Pietro Valvasense* Stampator di *Venezia*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 11. Dicembre 1752.

[*Giovanni Emo Proc. Riff.*
[*Barbon Morosini Kav. Proc. Riff.*
[*Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Riff.*

Registrato in Libro a Carte 45. al Num. 393.

Gio: Girolamo Zuccato Seg.

Adi 22. Dicembre 1752.
Reg. nel Magist. Eccell. degli Esec. contro la Bestemmia.

Alvise Legrenzi Seg.

